



- 203.


• 8728


Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIEGO


Ex Libris Joannis Dobrowolski


832. -


Rafaely
Wilecki





























Bibliothecae *Amij. S. C.*
Crucis in Monte Calvo

C. S. B.

8728a
Z. BIBLIOTHEKE
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIE

nob
mus, a
sine peri-
Ut verò certu-
rem esse missam, qu-
do apostoli sunt. Quo-
dei innotescat, sedulo nobis e-
da, & audiendæ sunt non ex quouis e-
predicatore legitime missio & vocato.

Porrò de quarto, à quibus videlicet prædica-
doctrinæ suscipiatur, hoc pacto Paulus infit: *At non
omnes obediunt Evangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis
credidit sermonibus nostris? Hic discimus, ab admodum
paucis recipi Evangelium seu verbum fidei: id enim
interrogatio illa Esaiæ satis probat. Et profectò vi-
demus, isthuc ut semper, sic & hodierna die venire
vsu. In millibus enim vix decem reperiamus, qui ver-
bo prædicato & audito ex animo credant fructumque
eius referant: uti iacti seminis quarta duntaxat pars
in bonam cecidit terram. Matth. 13. Adeò nimis
negligentiâ insignis ille thesaurus absconditus, ita
conculcatur margarita illa pretiosissima. Cauea-
mus verò nos nobis, ne in eodem campo versetur,
quo contemptores illi: nam malè profecto cesserit.
Acto. 13. Hab. 2.*

Denique de quinto ac ultimo, utpote quousque
bb prædica-

...a terræ
... nullam aut
... de tam gratio-
... fierit. Nam Apostoli
... erunt prædicatum Euan-
... o. & quotquot horum fuerunt
... ocamus Apostolos. Inde autem pri-
mum ... , quâto perè velit Deus omnes saluos
fieri & a ... tatis venire agnitionem. 1. Tim. 2. Dein
de verò videmus etiam, neminem ignorantie suæ
posse vnquam excusationem prætexere, sed contem-
ptores iusto Dei iudicio iri damnatum.

Quando itaque nobis præsertim tum salutife-
ra Euangelij doctrina quotidie proponatur, quan-
do tam lætum nobis contingat audire nunciũ, agitè
fide eam constanti amplectamur, eoque & verbi au-
ditum & verbi prædicatores missos sedulo & obser-
uemus & veneremur.

FERIIS D. ANDREAE, IN
EVANGELIVM CONCIO
PRIMA.

*Ambulans Iesus iuxta mare Galilee, vidit duos
fratres, etc. Matth. 1111.*

Habita an
no 45. **P**Ræcipua huius Euangelij propositio de voca-
tione concionatorum: quare de hac etiam iam
non nihil nos agemus, sed ita tamen, vt & generalis
omnium Christianorum vocatio sit iuxta inseren-
da. Vos verò attentis nobis auribus adeste. Sunt au-
tem

tem t.

florianos.

Primum est, quod

nos in vniuersum

quid ipsi peculiariter

est, quid vocatos facere d

mus ordine ac breuiter pergit.

Quod ad primum attinet, ce.

mò non hic, sed alibi passim, IESVM

Seruatore nostrum vocantem esse. Hoc verò

in eum finem facit, vt vocationis negotium eor

ioris fiat nobis, eò nobis ducatur pretiosius. Quum

enim Christus ipsa sit Dei sapientia, iustitia, veritas,

& vita, non potest non esse maximi momenti, quod

ab ipso instituitur ac designatur. In vocatido au-

tem varijs vtitur medijs, varijs modis Nam aliquan-

do personali voce vocat, vti Apostolos omnes &

Paulum: nonnunquam vocat sorte, vti Matthiam

interdum electione publica, vti & hodie & olim om-

neis Ecclesiastas: quandoque & arcano instinctu vo-

cat, vti plerosque prophetas. Cæterùm hic vltimus

modus alijs multò est sublimior, & magis necessari-

us, certiusque veram vocationem confirmans. Nam

nisi quis instinctu arcano vocetur, frustra vocatur

sorte aut electione, cum præsertim vocatio perso-

nalis iam non sit in vsu. Sed quò est sublimior & ne-

cessarius magis, hoc contrà est coram mundo suspe-

ctior, idque inde, quòd cum aliàs, tum præsertim hoc

ce nostro seculo multi de hoc glorientur, qui tamen

re ipsa declarent postmodum, se non à CHRISTO,

sed à Sathana esse vocatos. Quare hodie nullus mo-

odus est certior & minus periculosus, quàm qui per

canonicam & sinceram sit electionem. Atque hæc de

concionatorum vocatione: Iam & de vocatione

in nihil attingemus. Ij
 vt concionatores, & id
 medio & per medium. Sine medio, vt
 ipsum, quod factum est, dum corpore ver-
 teris: per medium verò, vt per Apосто-
 mnes concionatores, quod fit, dum ab ip-
 srum Dei promulgatur. Toties enim per ip-
 HRISTVS vocat: felices quibus aureis sunt
 audiendum. Et hæc de Christianorum omnium
 catione obiter dicta sufficiant. Accepistis igitur
 nunc, quis vocet tum concionatores tum Chri-
 stianos.

Iam quod ad secundum attinet, certificamur in
 Euangelio hoc, vocari vocatos ad piscandum homi-
 nes. Quid hoc verò sit, declarat ipse Dominus Marc.
 16. dum inquit: Euntes in mundum vniuersum præ-
 dicare Euangelium omni creaturæ: & Matth. 28. Ite,
 docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine
 patris & filij & spiritus sancti. Vocantur itaque con-
 cionatores, vt omnes quoscunque possunt doctrina
 Euangelica Christo adducant, vt omnes ipsi lu-
 crificiant. Quomodo autem Christiani in genere
 piscari homines debeant, docet Dominus Matth. 5.
 Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant
 opera vestra bona, & glorificent patrem vestrū, qui
 in cælis est. Hi igitur ad hoc vocantur, vt sic Euan-
 gelio prædicato obediant, vt sic vitam suam in-
 stituant, quò omnes inde conuertantur & Christo
 lucrifiant.

Quod attinet ad tertium, certificamur hîc, dece-
 re vocatos, vt relictis omnibus Iesum vocantem se-
 quantur. Quid isthuc verò sit, declarat Dominus ip-
 se Matth. 16. Si quis (inquiens) vult post me venire,
 abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & se-
 quatur

quatur me. Simulatque igitur concionatores vocati à Iesu fuerint ad piscandum homines, statim relinquere debent omnia sua, nempe sua ipsorum negotia, suam voluntatem, suum institutum, & sequi ipsum, hoc est, ipsius exemplo omnia fieri omnibus. Dei voluntatem verbo omnibus publicare, Christi mysteria fideliter dispensare, gregi Dominico summa cura præesse, &c. Sic & omnes Christiani simulatque ab eodem Iesu per concionatores & auditum verbū vocati fuerint, euestigiò omnia sua relinquent, hoc est, omnem impietatem, omnia secularia desideria, omnia peccata abnegabunt, & soli vocanti viuent, omniaque itidem fient omnibus. Sic certò futurum est, vt cum venerit ipse in regeneratione, sessuri sint & illi super sedes duodecim cum electis omnibus. Matth. 19.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

Audiuimus in Epistola de Euangelica prædicatione, audiuimus etiam de ipsis prædicatoribus obiter: nimirum eos missos, hoc est, vocatos esse oportere. Audiemus itaque nunc in Euangelio commodum de missione seu vocatione illorum. Nam ea pulchrè nobis in Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis Apostolorum vocatione delineatur. Habet autem horum Apostolorum vocatio tria præcipuè: primum est, à quo nam sint vocati: secundum est, ad quid potissimum vocati sint: tertium est, quomodo se in vocatione gesserint. Non pigebit verò vos de huiusmodi prædicatorum missione seu vocatione nos audire. Nam præterquàm quòd scire isthęc non parum vestra refert, peculiarem etiam pro vobismet ipsis inde doctrinam capietis.

Principiò igitur, primum quod attinet, audiui-
 mus ex Euangelij contextu, Petrum, Andream, Ia-
 cobum, & Ioannem ab ipso Domino Iesu vocatos
 esse. Ita enim Matthæus inquit: *Ambulans Iesus iuxta
 mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem Petrum & Andream,
 iacentes rete in mare, & dicit illis: Sequamini me. Et progressus
 illinc, vidit alios duos fratres, Iacobum & Ioannem filios Ze-
 bedæi in naui cum patre suo, sarcientes retia sua, & vocauit eos.*
 Quemadmodum ergo hos Dominus Iesus vocauit,
 ita & ipse is est, qui omnes prædicatores & semper vo-
 cauit & hodie etiamnum vocat. Verùm quos vocat,
 varijs vocat modis. Apostolos & plerosque alios di-
 scipulos immediatè per suam ipsius personam voca-
 uit, vt cum hîc, tum alibi videre est. Matthiam vo-
 cauit mediatè per sortem. Deinceps verò vocauit,
 vt & vocat hodie, per legitimam electionem Eccle-
 siæ seu magistratus. Est autem electio legitima, qua
 eliguntur digni, hoc est, irreprehensibiles vita, &
 idonei ad docendum secundumque verbum verita-
 tis. 1. Tim. 3. 2. Tim. 2. Tit. 1. Et qui tales sunt, ij certò à
 Iesu vocati existunt. Qui verò istis notis carent, non
 sunt à Iesu vocati, etiam si ab ipso Papa electi essent,
 eoque nihil boni ab ipsis est sperandum. Atque eti-
 am si eligantur ij, re vera tamen pro intrusis haberi
 debent. Porrò qui veris notis sunt insigniti, non ta-
 men sese antea debent ingerere, quàm vocentur ab
 Ecclesia Quemadmodum & Apostoli manibus labo-
 rabant, donec vocarentur. Quando igitur Dominus
 ipse prædicatores veros vocet ac mittat, ab omnibus
 merito honore sunt & excipiendi & audiendi & tra-
 ctandi: nemo enim legatum principis contemnit.

Nunc quod spectat ad secundum, audiui-
 mus ex historia Euangelij, Petrum, Andream, Iacobum &
 Ioannem, ad hominum piscationem esse vocatos.

Sic nanque ad illos Dominus dixit: *Sequamini me, & faciam vos piscatores hominum.* Piscare autem homines, est prædicare illis Euangelium, & docere eos seruare omnia, quæcunque præcepit Dominus Iesus. Marc. 16. Matth. 28. Ad huiusmodi ergo mysticam piscationem omnes quoque prædicatores peculiariter vocantur. Ad prædicandum inquam Euangelium vocantur, non ad proponenda somnia. Ad docendum mandata Domini vocantur, non ad mandata & traditiones hominum. Voco autem traditiones hominum, quæ ex diametro cum verbo Dei pugnant. Idcirco iuxta suam vocationem Euangelium & mandata Domini prædicare debent, sicque homines Christo lucrifacere. Et tanto magis dignè excipiedi illi sunt: quis enim legatum summa bona adferentem non reuerenter excipiat?

Cæterùm, quod tertium concernit, audiuius ex Euangelio, Petrum, Andream, Iacobum & Ioannem, statim obediuisse vocanti Iesu, ipsumque esse secutos. Ita enim de illis Matthæus inquit: *At illi relicta illico retibus, secuti sunt illum. At illi protinus relicta nauis & patre suo, sequuti sunt eum.* Ad hunc itaque modum & omnes prædicatores vocatos decet vocantem Iesum statim sequi, hoc est, vocationem suam vrgere, prædicare Euangelium, & mandata Domini docere. Omnibus alijs curis relicta, huic vni rei eos incumbere oportet, nam vnum hoc est necessarium. Lucæ 7. Atque ab hac vocatione, neque parentes neque amici, neque mors neque vita, eos auocare debent, neque auocari se ab his sinent. Populus autem Christianus vltra hanc vocationem illos non grauare vnquam debet, immò & obedientiam & vitæ necessaria præstabit illis, vt cum gaudio hoc faciant, non gementes.

FER. D. ANDREAE
IN IDEM CONCIO
TERTIA.

Amos 1.

Quemadmodum in Epistola audiuius, prædicatores seu ministros verbi Dei vocatos ac missos esse oportere, quò nimirum auditores de verbo certiores, indubitatioresque reddantur, ne pro verbo Dei & veritate hereses aut mendacia audiant, sicque prauam & adulterinam concipiant fidem: ita in hoc Euangelio porro docemur, à quonam prædicatores vocentur, & ad quid præsertim vocentur, adhæc quales illos esse oporteat. Quia verò hîc non minus res auditorum agitur quàm ipsorum prædicatorum: non pigere vos auditores debet, quàm diligentissimè animaduertere. Atque vt animaduertatis attentius, de communi etiam omnium Christianorum vocatione obiter non nihil dicemus.

Petrus, Andreas, Iacobus & Ioannes, vt hoc Euangelium testatur, à Domino Iesu ad verbi ministerium vocati sunt, immò non hi soli, sed & alij omnes Apostoli, discipuli que ab eodem (vt passim testatur Euangelistæ) sunt vocati. Certum igitur est, omnes quotquot vocantur, ab hoc quoque vno vocari, quanquam Dominus varijs modis in vocando utatur. Non autem satis est, dicere se esse vocatum: sed requiritur etiam, vt ab Ecclesia suæ vocationis certum testimonium habeat: immò (si quid fortè fauoris humani intercesserit) & hoc requiritur, vt vocatione sua sit dignus, hoc est, aptus ad docendum sit, & possit verbum Dei rectè secare, obnitentesque conuincere, 1. Tim. 3. Tit. 1. Habent itaque hîc auditores Christiani, quos audire debeant, nempe ab Ecclesia catholica & huius præpositis admissos, qui que sint didactici ac fidelis sermonis tenaces.

Caterum

Cæterum apostoli in hoc ipsum à Domino Iesu (vt audiuius) vocati sunt, vt fierent, essentq; piscatores hominum: hoc est, reti Euāgelico seu prædicatione verbi Dei homines ad fidem & vitæ pietatem adducerent, sicq; Christo lucrarentur. In hunc ergo finem & hodie prædicatores vocantur, vt nimirum piscentur, non honores aut diuitias, sed homines: & piscentur quidem hos, non per prauam doctrinam ipsi Sathanæ, sed vni Christo per veræ & fidei & pietatis dogmata.

Præter verò piscationem hominum, Christus ab apostolis vocatis sui etiam sequelam exegit: dixit enim: *Sequimini me*. Sed in quonam se sequendum proponit: non solum profectò in doctrinæ puritate, verum etiam in diuinæ gloriæ studio, in vitæ innocentia, & in afflictionum tolerantia. Nam in his omnibus Christus præcessit. Idem igitur & etiamnum omnibus à Christo vocatis missisq; verbi ministris curandum est. Non satis habere debent, purè concionari & docere sedulò alios: sed & nihil aliud sua doctrina venabuntur, quàm vnius Dei gloriam. Ioan. 2. item quod docent ore, studebunt exhibere etiam vita. Matth. 5. & quod docent viuuntq; pro eo quodque libenter (si opus sit) contumelias patientur. Act. 5. Atque hæc de vocatione prædicatorum. Iam quod auditores, immò omnes in genere Christianos attinet: sunt & ipsi à Christo vocati. Ephe. 1. 2. Tim. 1. nēpe, vt itidem Christum sequantur & piscentur homines: sed alio modo, scilicet vt seruiant Domino in sanctitate & iustitia, vtque proximorum commodis non minus quàm proprijs seruiant. Vrgeamus itaque vtrinque vocationem, quisque suam, vt tādē ē mari hoc turbulento ad littus æternæ quietis perueniamus feliciter.

FER. D. ANDREAE
IN IDEM CONCIO
QUARTA.

Anno 53.

EX hoc Euangelio audistis breuiter, & quando & vbi & per quem & quibus verbis D. Andreas ad Apostolatam venerit, vnà cum fratre Petro & Zebedei filijs: nimirum (in quo non parū consistit) quòd non suapte sponte (vt hodie plurimi faciunt) irruerit in prædicandi prouinciam, sed quòd vocatus antè sit à Domino Iesu. Vnde moneri debent Prædicatores oēs, ne & ipsi sese citra vocationem legitimā in piscationem hominū (ipsum inquam prædicatoriū munus) ingerant, sed expectēt Domini Iesu & Ecclesiæ legitimam missionē seu vocationē. Nam alioqui dicit Dñs de ipsis, quod de pseudoprophetis olim dixit: Nō mittebam eos, & ipsi curebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Ierem. 23.

Secundò autem audiuius etiam ex Euangelio, ecquomodo Andreas & alij in vocatione sese gesserint: nepe, quod in auditu auris obediuerint, reliquerint omnia, & nudi nudum sequuti sint Iesum.

Sic omnes olim fecerunt pij Prophetæ, sic & alij fecerunt Apostoli. Sic verò & prædicatores omnes face-re debent. Vt non debent vltro irrumpere, ita vocati debent parère statim, debent quoq; relinquere omnia, hoc est, non implicare sese negotijs secularibus, non diuitijs inhiare, sed solùm curare commissum sibi munus, vt quod plus satis habeat & curarum & laboris. Debent denique & Iesum sequi, hoc est, docere veritatem, prædicare & pœnitentiam & remissionem peccatorum, vrgere & fidem & piam vitam, illustrare Dei gloriam, ipsique innocentem, agere vitam, & animas demum pro grege Domino ponere.

Immò

Immò duo hæc posteriora non prædicatoribus solis curanda sunt, sed & omnibus in genere Christianis. Nam etsi non omnes à Domino ad prædicandum vocati sunt, huc tamen sunt vocati, vt regnũ mundi & omnem ornatum contemnant propter amorem Domini sui Iesu Christi, vt veritatẽ & fidem orthodoxam confiteantur, vt sequantur Christi vestigia & vitam & mortem, vtq; sic in omnibus diuinam illustrent gloriam. Quum ergo (teste Scriptura) huc omnes vocati simus, & quotidie per verbi prædicationem vocemur, imitemur D. Andream & reliquos, obediamus vocanti, vrgeamusq; vocationem nostram: persuasi vocandos nõs hinc in æternam Christi gloriam, pro relictis terrenis ingentes nos thesauros inuenturos in cœlis, perq; sedulam Christi sequelam venturos, quò ipse præcessit.

FERIIS D. NICOLAI, IN EVANGELIVM CONCIO PRIMA.

Homo quidam genere clarus, profectus est in regionem longinquam, vt acciperet regnum, &c.

Luca XIX.

HAc parabola Euangelica Dominus donorum *Habita* rationem nobis explicat: quare & nos iam de *anno 45.* ijs pro nostri ingenij mensura paululum agemus. Sunt autem quatuor præsertim, quæ ob id proponit. Primum enim ostendit, quis donorum sit largitor: secundò docet, quibus ea dentur: tertio declarat, quamobrem seu in quem finem dentur: quarto ac postremò aperit, quibus præmijs accumulandi sint ijs vtentes. De his iam quatuor & breuiter & luculenter dicemus. Vos verò fratres auribus nobis adestote attentissimis.

Omnium aut primò recensebimus, quid per dona intel-

intelligendum veniat, & quæ illa dona de quibus nobis sermo est. Sic enim omnia intellectui magis obuia erunt. Hic itaque sciendum, per dona à nobis intelligi, quicquid boni tum habemus tum etiam possumus: siue id corpori, siue animo, siue conditioni, siue fortunæ adscribatur. Corpori verò tribuuntur præsertim, eloquentia, fortitudo, agilitas: animo autem, scientia, intellectus, sapientia, voluntas: cæterum fortunæ, diuitiæ & honores: at conditioni, potestas ac quodlibet munus, siue illud sit ciuile siue ecclesiasticum. Hæc inquam bona omnia, & quæcunque sub his comprehenduntur, dona & sunt & dicuntur. His nunc vtunque prælibatis, prædictis quatuor ordine accingemur.

Principiò igitur, quod attinet ad donorum largitorem, certificamur tum in hoc Euangelio, tum etiam Luc. 19. hominem quendam nobilem peregrè proficiscentem ea donare. Hic verò est mediator ille Dei & hominum homo Iesus Christus. Nam is quum Deus esset, nostri causâ humanam assumpsit naturam: quum esset tam nobilis, vt nemo generatione eius posset enarrare, nostræ salutis ergò ex nobilissima Dauidis regis progenie natus est homo: quum è cælo descendisset, humanumque genus vniuersum sui proprii sanguinis communicatione nobilitasset, victor mortis & Sathanæ peregrè profectus est, hoc est, ascendit rursus in terram illam regionemque viuentium, supernam Ierusalem, cæleste regnum, vt impleret omnia, donaque daret hominibus. Hunc autem sensum, ne cui suspectus haberi possit, pulchrè ex Paulo confirmabimus. Ipse ad Eph. 4. sic inquit: Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod scriptura dicit, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem,

tem, dona dedit hominibus. Hic nimirum videtis clare, Iesum Christum Seruatorem nostrum omnium donorum esse & verè & solum largitorè, * siue sint corporis, siue animi, siue fortunę. Huic enim Pater dedit omnia in manus. Ioan. 13. verum tamen sic donorum largitionem Christo tribuimus, vt eadem & Patri spirituiq; sancto tribuamus simul: sed ob id tribuimus ea peculiariter Christo, quòd non, nisi per hunc, Pater & spiritus sanctus quippiam largiantur. Vnde & Paulus exertè dicit Eph. 4. Cùm adscenderet Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dona dedit hominibus. Porrò, si à Christo seu Deo dona omnia contingunt, cõsequitur, eadem & ipsi soli accepta ferenda esse, non nobismetipsis aut alijs creaturis. 1. Corinth. 4. consequitur quoque, illi soli ob dona agendas esse gratias, illum solù ob ea esse laudandum, in solo illo esse gloriandum. 1. Corinth. 1. 2. Corinth. 10.

*Ex concione
ne habita
anno 51.*

Iam secundò, quoad donatorum personas attinet, certificamur hìc, dona donari seruis suis à Iesu. Ij verò sunt omnes in vniuersum homines. Nam quum ipse omnium creaturarum Dominus sit, consequitur necessariò, quòd & omnium hominum sit Dominus. Si hoc autem verum est, cõsequitur necessariò etiam, quòd omnes homines ipsius sint serui. Sed ne videamur nostra adfingere, scripturam audiamus.

*Ex concione
ne habita
anno 45.*

Sanè quòd Iesus omnium Dominus sit, præter alia innumera testimonia, D. Petrus Actorum 10. his verbis testificatur: Verbum (inquiens) misit Deus filijs Israel, annuntians pacem per Iesum Christum: hic est omnium Dominus. Certum igitur est, & omnes eius esse seruos. Venit ergo hinc descendum, neminem hominum esse, qui non donis aliquot à Domino

mine

*Ex concio
ne habita
anno 51.*

mino suo Iesu donatus sit, etiã eũ adhuc ignoret. Dedit autem homo ille peregrè profecturus, alij quidem quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum. Sic nempe diuersa mensura sua dona largitur Christus, alijs videlicet multa, alijs mediocria, alijs pauca, quemadmodum & palàm in omnibus hominibus videmus: non, quòd personarum ratione habeat, aut ex humano fauore largiatur: sed quòd largiatur unicuiq; ad ipsius vtilitatem, prout illi commodum esse iudicat. 1. Cor. 12. Ephe. 4. Vt igitur non debent contemnere alios, quibus multa & insignia contigere dona: sic nec illi, quibus vel mediocria vel pauca obuenerunt, istis inuidere debent.

*Ex concio
ne habita
anno 45.*

Cãterũ tertio, quod attinet ad finalem donorũ causam, docemur hãc, dante ea, vt cedant in lucrum, vt vsura inde accrescat. Vnde apud Lucam ca. 19. expresse habetur. Negotiamini ijs donec veniam. Hoc verò lucrum, hãc vsura ita demum verè continget, si quisque dona sibi data expẽdat ad Dei gloriam & proximorum ædificationem. Hinc nimirum Dominus dicit Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Et Ioan. 15. Ego elegi vos & constitui, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Item Petrus in priori sua cap. 4. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiã Dei, Si quis loquitur, tanquam ex virtute sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex potentia, quam suppeditat Deus, vt in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christũ, cui est gloria & imperium in secula seculorũ, Amen. Hic itaque perspicuum nobis sit, propterea esse collata dona, vt inde gloria illustretur Domini, & plurimis benefiat.

Porro quartò ac vltimò, quod ad præmia, quibus

vtent-

vtentes afficiēdi sunt, attingēt, declaratur nobis hic, bifaria illa fore: bona nimirum & mala. Nam quum omnes non vtantur perinde donis, quum omnibus non idem sit studium, consequitur planē, nec idem præmium omnibus conferri debere. Quòd verò nō omnes aequè ijs vtantur, tum ex hoc Euangelio, tum etiam ex quotidiana experientia colliquet. Nōnulli em̄ donis suis sic vtuntur, vt plurimos fructus edant, plurimis seruiant. Alij pro donorū mensura, medio crem faciunt vsuram, sed pari tamē fidelitate. Quidam contrā hoc pacto dona sua debēt, vt nihil prorsus utilitatis conferant in commune. Sunt & aliqui, qui ad eò nullum adferunt commodum, vt plurimis etiam incommodent. Indignum itaque esset, eodem præmio tam hos, quàm illos accumulari. Sed quale nam erit præmium? illi, qui donis suis sedulò & fideliter iuxta donantis voluntatem vtuntur, hic quidem affatim donabuntur gratia, illic verò tanquam boni & fideles serui intrabunt gaudium Domini sui. Isti verò, qui donis abutuntur, conijciuntur contrā in tenebras exteriores, in æternum gehennæ ignem: vbi erit fletus & stridor dentium, vbi vermis eorum nunquam morietur. En, talia præmia eos manebunt.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

Euangelium hoc de donis peculiariter agit, & est Anno 48. generale. Sunt autem sex præsertim, quæ in hūc finem nobis proponuntur. Primum est, vnde dona contingant: secundum est, quibus ea dentur: tertium est, cur potissimum dentur: quartum est, qua dentur mensura: quintum est, quo pacto donati ijs vtantur: sextum ac postremum est, quòd donati

nati ferant præmium. Hæc iam sex expendamus omnes summa diligentia. Nam omnes nos æquè conuertunt, cuiuscunq; etiam vocationis simus.

Principiò quidè, vnde contingant dona, satis inde elucescit, quòd dicit Dominus, hominem quendam peregrè proficiscentem tradidisse bona sua. Is enim homo ipsemet est, tū profectus peregrè, vbi reliquit corpore has terras, inq; cœlū ad Dei patris dextram conscendit. Ab ipso itaq; vno omnia dona & bona, siue spiritualia siue corporalia, siue specialia siue generalia, & contingunt & donantur. Hoc ipsum autem & D. Paulus apertis verbis testatur, dum sic inquit Ephe. 4. Vnicuique data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. Quapropter dicit: Cùm ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit hominibus dona. Si verò à Christo dona donantur, nemini ea nisi ipsi vni tribuenda sunt, nemo quoq; de ijs gloriari vnquam vel potest vel debet.

Iam secundò, quibus dona dentur, inde clarum est, quòd Dominus dicit, hominē illum peregrè proficiscentem vocasse seruos suos illisq; bona sua tradidisse. Serui nanq; ipsius sumus nos homines omnes, quippe qui nullum alium Dominū agnoscimus quàm ipsum solū. 1. Cor. 8. Etsi sunt (inquit Paulus) qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodum sunt dij multi, & domini multi: nobis tamē vnus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. Si autem nos serui sumus, consequitur, nos quicquid habemus & ab ipso accepisse & ipsi debere: non ex nobis, aut vlla creatura.

Cæterum terciò, cur potissimū dentur dona, hinc apertum est, quòd dicit Dominus, negotiationis exercitium præcepisse Patrem familias seruis. Nam per hoc significatur, propterea data esse nobis dona, vs

ijs vtamur, vt ijs alijs inferuiamus. Id verò & Aposto-
lus clarè testatur, dum ait 1. Corinth. 12. Vnicuiq; da-
tur manifestatio spiritus ad id quod expedit, hoc est,
(vt inquit Ephe. 4.) ad instaurationem sanctorum,
in opus administrationis, in ædificationem corporis
Christi. Vti optimus Dominus omnia sua bona non
sibi soli retinet, sed tradit & donat nobis seruis suis:
sic etiam vult, vt nos vicissim ea in proximorum no-
strorum commoda omninò conuertamus, non au-
tem priuaræ vtilitati mancipemus.

Porrò quartò, qua mensura dona dentur, hinc
haud obscurè colligitur, quòd Dominus dicit, ho-
minem illum tradidisse vni quidem quinq; talenta,
alij autem duo, alij verò vnum, vnicuiq; secundum
propriam facultatem. Per hoc nanque innuitur, nò
paria omnibus dari dona, sed huic plus, isti minus,
tum etiam alijs hæc dona, alijs alia. Huic verò & D.
Paulus subscribit 1. Corinth. 12. Diuisiones (inquit)
donorum sunt, sed idem spiritus: & diuisiones mi-
nisteriorum sunt, sed idem Dominus: & diuisiones o-
perationum sunt, sed idem Deus, efficiens omnia in om-
nibus. Hinc aut nullus sequi debet contemptus, nul-
la inuidia. Nam qui multa & magna acceperunt, ab
his & plurimum lucri exigetur: contrà qui acceperunt
minus, ab his minus etiam extorquebitur. Dominus
nouit omnium facultates, nouit quid cuiq; expedi-
at, iuxta vires itaq; & vtilitatem vniuscuiusq; dona
largit, siue maiora siue minora, siue plura, siue pau-
ciora. Quicumq; igitur nostrum maiora & plura do-
na habet, is cogitet, & amplius se spiritu Christi esse
donatum, & maiora pluraq; sibi esse faciunda. Vicis-
sim verò, quibus minora & pauciora collata sunt, ij
cogitent, tantum se accepisse, quantum & sibi suffi-
ciat & alijs vtile sit: videantq; igitur, non quantum

alij præse acceperint, sed quàm fideliter suis acceptis & possit & debeat uti.

Insuper verò quintò, quo nam pacto donati donis utantur, hinc perspicuum fit, quòd dicit Dominus: Eum qui quinq; talenta acceperat, negotiati-
one confecisse altera quinq; talenta: Similiter & qui acceperat duo, hunc & altera duo esse lucratum: Il-
lum autem qui vnum acceperat, fodisse in terram & abscondisse pecuniam Domini sui. Per hoc etenim designatur, quosdam pro sua portione benè uti do-
nis, quosdam verò ijs abuti. Ij benè donis utuntur, qui lucrantur duplicia, hoc est, qui plurima alijs cõ-
moda adferunt, ita, ut à multis iam gratia Deo agā-
tur, & ad vitam æternā multi lucrifiant. Illi verò cõ-
trā abutuntur donis, qui ea recondūt, hoc est, nulli ex eis aliquid adferunt cõmodi, gloriam Dei nō pro-
mouent. Hic iam vnusquisq; nostrum rationem se-
cū subducatur, utatur ne an abutatur donis suis: hoc est, num suam sapientiam, prudentiam, scientiam, e-
loquentiam, eruditionem, vocationem, diuitias, ad proximorum ædificationem & Dei gloriam conuer-
tat, an non. Certè si conuertit, gratus est, Dominiq; sui facit voluntatem: sin verò, est ingratus & Domini sui voluntatem turpissimè transgreditur.

Denique sextò & vltimò, quòd donati ferant præ-
mium, inde patescit, quòd dicit Dominus, illum qui quinque talenta superlucratus erat, quiq; item duo, super multa esse constitutum, intrasseq; in gau-
dium Domini sui: Eum verò, qui recondiderat pecuniam, & increpatum esse duriter à Domino, & suo talento & priuatum, & coniectum in tenebras exte-
riores. Nam per hoc intelligitur, benè utentes donis & maiora dona accepturos, & æterno porrò gaudio esse donādos: abutentes verò & priuandos dono suo
& æter-

& æternum perituros esse. Hic autem videmus Domini & misericordiam & iudicium: misericordiam quidem erga bene vtentes: iudicium verò erga abutentes. Quòd enim illos remunerat, mera est misericordia, non debitum. Nam ipse dedit vnde lucratur, ipse dedit facultatem vt lucrari possint. Contrà verò quòd abutentes damnat & priuat, æquissimum est iudicium, non iniuria. Nam sua ipsorum culpa, sua ipsorum desidia damnantur. Vult igitur Dominus, nos seruos suos lucrari donis, hoc est, bona opera exercere. Nam verè bona opera sunt, quæcunque proximis adferunt commoda. Vult & remunerare opera nostra bona: verum non est, quòd putemus hinc sequi, quòd bonis operibus nostris aut gratiam aut vitam æternam mereri possimus. Et mèrita enim & præmia gratia Dei sunt. Deus (inquit Augustinus) sua mèrita in nobis coronat. Immo Psal. 103. Dominus coronat te misericordia & miserationibus. Ideò nimirum clamat Ioannes: De plenitudine Iesu omnes nos accepimus gratiam pro gratia. Et Paulus dicit Rom. 6. Stipendium peccati mors, donum autem Dei vita æterna per Iesum Christum Dominum nostrum. Quare cum fecerimus etiam omnia quæ præcepta sunt nobis, dicemus: Seruimus inutiles. Luc. 17. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psal. 113. Tibi Domini iustitia, nobis autem confusio speciei. Baruch 3. Daniel. 9.

Non autem hinc segnes reddemur in bonis operibus, in bono donorum vsu, quòd audimus illorum mèrita & præmia meram esse Domini gratiam: immò tantò magis & diligentius ijs insistere conueniet, præsertim quòd vicissim audimus Domini iudicium, hoc est, horrendam vindictam, quæ

in cessatores animaduertet, pigri serui exemplo.

IN IDEM CONCIO

TERTIA.

Annò 54.

Summa totius huius parabolæ, extimulatio est ad perpetuum studium bonorum operum: ne committamus scilicet, vt dotes diuinitus acceptæ nostra socordia sint steriles: sed vt cura, diligentiaq; omni vertamus eas in vtilitatē proximi, maioribusq; nosmet idoneos præbeamus. Extimulat autem nos huc Dominus modis duobus: præmiorum nimirum magnitudine, & suppliciorum cōtrā metu. Sed consideremus præcipuas parabolæ parteis, quò sic omnia & rectiùs à nobis intelligantur, & penitiùs animis nostris inculcentur.

Principiò itaq; Homo ille proficiscens, homo Iesus Christus est. i. Tim. 2. qui nempe peregrè est profectus, quum ad cœlos ascenderet, humanitatemq; suam (quæ nunquam antè fuerat ibi) in domum Patris sui cœlestis subueheret. Tunc enim tradidit seruis suis bona sua: iuxta illud Ephesiorum 4. Vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensurā donationis Christi. Propter quod dicit: Adscendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Psalm. 67.

Serui autem huius Hominis seu Domini, primò omnium apostoli sunt & horum successores, deinde omnes Christiani in genere. Vnde nimirum facillè colligere est, quænam bona illa sint, quæ ille tradidit seruis suis: veluti, si apostolos & Ecclesiæ præfides respiciamus, Verbum Dei seu Euangelium, & Sacramenta. i. Corinth. 4. si verò omnes in genere Christianos intueamur, omnes & animi & corporis & fortunæ (vt ita dicam) dotes. i. Corinth. 4. 12.

Quòd

Quòd verò Dominus alij quinq; alij autem duo, alij verò talentum vnum tradidit: eo docemur primò, velle Christum, vt in Ecclesia gradus diuersi misteriorum sint, quò sic videlicet vnitas conseruetur & vitentur schismata: deinde docemur quoque hinc, scire Christum quid & quantum vniciq; homini vtile sit, dareq; proin nulli vel plus vel minus. quàm cui illum iudicet parem seu idoneum. Consequitur ergo, vnumquenque suis donis & vocatione sua contentum esse debere: ita, vt nec maiores inflari aduersus inferiores, neq; hi inuidere illis debeant: vt item pluribus ac excellentioribus donis præditi non contemnunt eos qui minus acceperunt, nec huiusmodi pusillanimes aut impatientes reddantur. I. Cor. 12.

Cæterum quòd is qui quinq; talenta acceperat, qui itè duo, abiit & per ea lucratus est: eo vult Christus hortari nos, vt & ipsi per dotes acceptas lucrermur, non nobis ipsis, sed sibi: hoc est, quicquid & sumus & habemus & possumus, id totum vertamus in suam gloriam ac proximi nostri vtilitatem: quicquid enim vni ex minimis eius (ne dicam, maximis) fecerimus, id sibi ipsi factum reputabit. At contra quòd seruus ille vnus seu tertius defodit talentum acceptum in terram, absconditq; pecuniam Domini sui, nec lucratus ea est: eo perstringit Dominus eos, qui vocationem suam negligunt, donisq; diuinitus acceptis vel per socordiam vel propter metum mundanum vtinolunt.

Postremò verò, quòd Dominus tandem post peregrinationem diutinam redijt, exegitq; à seruis vocatis dati expensiq; rationem: eo significatur reditus omnium Domini, Iesu Christi, ad iudicium in seculi fine, iuxta illud Acto. 1. Hic Iesus qui à vobis assumptus est in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis

dictis eum euntem. Iuxta illud item 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Iam quod primus & secundus seruus aperuerunt Domino, quid lucrati essent acceptis talentis: id non ita intelligendum est, quasi pii benefacta sua iactaturi sint, quod videlicet faciet nunquam: sed hoc inde colligere debemus, quod dies Domini omnia abscondita sit manifestaturus, siue bona, siue mala. Quod autem seruus tertius (piger ille) excusare se coram Domino suo tentauit, & tamen suis ipsius verbis captus est: eo impiorum summa impudentia delineatur nobis, quippe qui quum nihil prorsus boni fecerint, nolint tamen peccata sua confiteri, sed excusare sese velint: sed contra docemur hic, eos non Domini duntaxat iudicio, sed & propriae conscientiae iudicio iri condemnatum. Qui sapit igitur, oret cum Davide: Non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis. Psalm. 140. Quod verò Dominus seruos duos & laudauit & iussit intrare in gaudium suum, pigrum autem & obiurgauit & talento priuauit, & conijci in tenebras extremas: eo Christus bonorum operum, tum utilitatem, tum necessitatem summam depinxit: indicauitque simul, quod quis dotibus acceptis usus fuerit diligentius, eo illum plures adhuc, maioresque consecuturum, non in alia solum vita, sed & hic. Agite igitur, consideremus haec omnes, & diligentissimè quidem consideremus: immò ne consideremus modò, sed totius vitae nostrae cursum ad ea instituamus, fugientes socordiam omnem, perpetuoque bonorum operum studio & gloriam Christi & proximi salutem venantes: quò sic & ipsi audiamus tandem singuli: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

IN EPISTOL. CONC. I. 31
FERIIS CONCEPTIONIS MA-
RIAE, IN EPISTOLAM CON-
CIO PRIMA.

*Ego quasi vitis fructificavi suauitatem odoris, & flores
mei fructus honoris & honestatis, &c.*

Eccles. XXIII.

IN hac Lectione duo praesertim nobis proponun- *Habitu*
tur: prius est, vaticinium de natiuitate matris: *Mes anno 45*
suae nostrae, nempe Mariae: alterum verò, vaticinium
est de natiuitate ipsius Messiae nostrae, nempe Iesu
Christi. De utroque paululum ipso auspice agemus,
ac de priori prius. Vos autem auditores optimi dili-
genter animaduertite. Est enim verbum Domini, &
non parum inde fides vestra confirmabitur.

Quod igitur ad prius attinet, sic inquit Prophe-
ta: *Egredietur virga de radice Iesse.* His verbis breuiter
duo innuit: nimirum, & ex qua progenie nascitura
esset mater Domini, & qualis futura. Nasciturus qui-
dem erat ex radice Iesse, hoc est, ex progenie Dauidis
Regis. Iesse enim seu Isai Dauidis fuit pater. Is verò
ex Iudae tribu natus fuerat. Cur autem illa ex hac so-
la progenie, & non alia nasci deberet, potissima ea
caussa est, quòd Messias ex sola Iuda tribu debebat
nasci. Genes. 49. Mich. 5. ac quòd ipsi Dauidis proge-
niei peculiariter promissus esset. Psalmorum 131. Ie-
remiae 23. Quare nimirum necessariò & ipsam hinc
nasci oportebat, alioqui scriptura fessisset, quae
tamen nunquam potest fallere. Quòd verò no-
stri Messiae mater Maria verè ex tribu Iuda & pro-
genie Dauid nata sit, ex Matthæo & Luca Euan-
gelistis est certissimum, ut cunquē obganniant Iu-
dæi. Primò enim negari non potest, Ioseph Ma-
riae sponsum ex Dauidis fuisse familia. Quum is

verò haberet spōsam Mariam, consequitur prorsus, hanc quoq; eiusdem fuisse & tribus & familiæ. Nam Iudæis vetitum erat extra suam tribum matrimonium inire. Numer. vltimo. Deinde nec potest negari, Mariam & Ioseph habuisse eundem auum, nempe Mathan: quare & hac fanè ratione consequitur necessariò, ipsam eiusdem fuisse tribus & familiæ, cuius Ioseph, nimirum Iudæ ac Dauidis.

Cæterùm futura erat mater Messix virga ex radice orta. Huiusmodi verò virga treis præsertim habet proprietates. Nam primò humilis est, vtpote radici proxima: secundò non curua est, sed in altū porrecta: tertio non arida est, sed virescens. Per virgæ autem humilitatem, vera animi submissio, hoc est, sui abnegatio intelligenda venit: per directum verò fastigium, vera & constans in Deum fides intelligi debet: Porro per virescentiam, vita omnigenis virtutibus prædita intelligitur.

Hinc iam clarum fit, matrem Messix virginem futuram veluti virgam teneram, hoc est, castam ac puram, item humilem, in Deum fide erectam, & omnium virtutum corona redimitam. Quòd autem nostri Messix mater Maria verè talis fuerit, omnibus verè Christianis indubitatisimum est. Erat enim virgo castissima, vt de se ipsa testatur Luca: 1. dum inquit ad angelum: Quomodo fiet istud: quia virum non cognoui. Erat enim & virgo humilissima, vt factis vel inde clarum est, quòd quum audisset se matrem Domini futuram, dixerit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Erat item virgo & fide flagrantissima & vita innocentissima affatim prædita: vt ex Euangelijs cuius satis, superque perspicuum esse potest. Sumus igitur vndiquaque certi, Mariam virginem castissimam verè veri
Messix

Messiaë fuisse matrem, quòd nimirum ea quæ Prophetaë vaticinati sunt, in ipsa abudè sint deprehensa.

Nûc & de Messiaë natiuitate porro dicemus. Quod itaque ad hanc attinet, sic Esaias dicit: *Et flos de radice eius (nempe virgæ) ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & timoris Domini. Et ipse bene sperantem eum faciet in timore.* His verbis Propheta itidem duo innuit: nimirum, cum ex qua profapia ac matre nasciturus esset Messias, tum qualis esset futurus. Nasciturus quidem erat (vt & paulò antè diximus) ex tribu Iuda & familia Dauid, atque id non solùm eò, vt promissiones patribus factas confirmaret, verùm etiam, vt declararet se esse verum illum Leonem è tribu Iuda, verum regem desiderabilem præ filijs hominum. Psalm. 44. Apocal. 5. Non autem ex quauis eius tribus ac progeniei muliere nasci debebat, sed ea quæ virgo erat futura castissima, humilissima, pijsissima. Quòd autem noster Iesus verè is Messias fuerit, inde certum est, quòd talem omninò habuerit matrem, nempe virginem castitatis, humilitatis, fidei, & virtutum omnium absolutissimum exemplar. Non solùm autem Messias ex huiusmodi matre & profapia nasciturus erat, verùm etiam ipse futurus flos super quem requiesceret spiritus Domini. Flos verò treis cum primis proprietates habet. Primò enim pulcher est: secundò, boni odoris: tertio, medicinalis efficacix: per pulchritudinem intelligitur mentis puritas: per bonum odorem, vitæ integritas: per efficaciam, vitæ ac operum fructus. Debebat ergo Messias purissimum habere cor, vitam integerrimam agere, & suis operibus prodesse multis, hoc est, sua sapientia plurimos efficere sapientes, suo intellectu plurimos facere intelligètes, suo con-

filio plurimis consulere, sua fortitudine plurimos forteis reddere, sua scientia plurimos erudire, suo timore plurimis verum Dei timorē instillare. Quod verò talis per omnia & noster Messias Iesus Marię filius fuerit, testantur Euangeliographi & verissimè & constantissimè. Primò nanque, quòd super eum requieverit spiritus Domini, certum est ex cap. Mat. I. Mar. I. Luc. 3. Ibi enim sic habetur: Baptizatus autem Iesus confestim ascendit ex aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum. Et Ioan. I. testimonium perhibuit Ioannes Iesu, dicens: Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum.

Secundò verò, quòd habuerit spiritum sapientię, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, & timoris Domini, satis superque ipse declaravit. Nam non solum ipsemet in omnibus suis tum dictis tum factis fuit sapiens, sed etiã veram sapientiam Dei propagavit mortalibus: non solum ipse fuit intellectu acutissimo præditus, verum etiam alijs intellectum dedit, ut intelligerent Dei sapientiam, hoc est, verbum diuinum: non tantum ipse consilio præ omnibus polluit, sed & alijs consultissima consilia impertivit: non modò ipse fuit fortis, sed & alijs infirmis addidit robur tum corporis tum animi: non solum ipse valuit absolutissima scientia, sed alios quoque artibus imbuit ad æternam felicitatem facientibus: non ipse solum timore præditus fuit patris, sed alijs etiam eundem aperuit. In summa, quicquid ipse & fuit & habuit & potuit, omnibus fuit, habuit & potuit, qui se ipsius sapientia, intellectu, consilio, fortitudine, scientia, & timore indigere agnouerunt. Nec tum modò talis fuit, quum hic homo versaretur in-

tur inter homines, sed hodierna etiã die quicquid
vel est vel habet vel potest, se inquirentibus abundè
suppeditat ac impertit.

En, iam (ni fallor) sic satis audiuiſtis: Primò, ex
qua progenie & Meſſiæ mater & Meſſias ipſe orituri
eſſent, nimirum ex tribu Iuda & familia Dauid: De-
inde, quãnam hæc mater ſit, nempe caſtiſſima vir-
go Maria: quis item verè ſit Meſſias, nempe Mariæ
filius Ieſus Chriſtus Dominus & aſſertor noſter. Nũc
itaque porrò reſtat, vt hinc fidem noſtram aduer-
ſus omneſiſue Iudæorum ſiue Turcarum ſiue Hæ-
reticorum inſultus communiamus: Vt item & filium
& matrem nobis imitandos pro virili noſtra portio-
ne proponamus. Illum quidem, vt ſeruatorem ac
Deum, hanc verò, vt ſeruatoris genitricem, omni-
umque creaturarum nobiliſſimam. Illum inquam,
vt diſcamus, & quid ſit & quid ab eo expectandum
nobis veniat: nimirum, quòd ſit verus Meſſias & or-
bis vnicus aſſertor, atque quòd ab eo expectanda no-
bis ſint omnia bona, vtpote vera ſapientia, verus in-
tellectus, verum conſilium, vera fortitudo, vera ſci-
entia, verus timor. Hanc verò, vt diſcamus, non ſo-
lum quid ac qualis ipſa ſit, verum etiam quales nos
eſſe oporteat, ſi ſpiritualiter Chriſtum parere & ip-
ſius matres fieri volumus: nimirum quòd & nos ca-
ſtos eſſe tum mente tum corpore, item humiles, cre-
dentes & omnijugis virtutum inſigniſ præditos eſſe
neceſſe ſit.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

Inſigne vaticinium in Lectione hac habemus, & de Anno 4^{to}
matre Meſſiæ, & de Meſſia ipſo. Expendamus verò
illud pauliſper ad fidei noſtræ confirmationem.

Primò

Primò quidem, quod ad Mesiæ matrem attinet, sic inquit Esaias: *Egredietur virga de radice Iesse*. His autem verbis duo ostendit Propheta. Alterum est, fore illam stirpis Dauidicæ: nam Iesse huius pater fuit: Alterum autem est, virgam illam futuram, hoc est, à peccatis puram & virentem virtutibus: virga enim & à nãuis pura est & viret. Verùm agè, cur ea ex stirpe Dauidis prognata esse debebat? Pro veritate nimirum Dei, ad confirmandam promissionem ipsi Dauidi factam. Iureiurando pollicitus erat Dominus Dauid, se fructum ventris ipsius positurum super eius sedem. Psalm. 131. hoc est, Mesiã seu Christum ex ipsius progenie nasciturum esse. Atque hanc ipsam promissionem & dudum post Dauidis mortem apud Hieremiam Prophetam renouauit, idque bis, cap. videlicet 23. & 33. ne quis posset in hoc dubitare: Ecce (inquit) dies veniunt, & suscitabo Dauid germen iustum. Si iam verò ipse Mesiã (iuxta Domini pollicitationem) ex Dauidis stirpe nasci debebat, oportebat & ipsius matrem ex eadem nasci, præsertim quando ille nullum in terris habiturus esset patrem. Ob id nempe prædixit Esaias, egressuram matrem ex radice Iesse. Sed quamobrem hæc ipsa virga etiam, hoc est, (vt diximus) pura à peccatis & virtutibus virens, futura erat? Itidem ad veritatem Dei stabilendam. Habent Prophetarum oracula, Mesiã expiatorum peccata & iustificatorum sanctificationumque homines. Esa. 53. Dan. 9.

Oportebat igitur ipsummet esse purum à peccatis & iustitia ac sanctitate virentissimum: nam alioqui impurus ipse purificare alium nunquam potest, vt nec ipse iniustus alios iustificare quit. At si debebat purus & sanctus esse, oportebat & ipsius matrem esse puram & sanctam: de impuro enim ac prophano

non potest purum & sanctum procedere. Iam accepimus paucis & verè, cur Messia matrem & ex David stirpe progeneratam & puram sanctamque esse oportuerit: reliquum porrò est, vt & videamus nunc, in quamnam matrem hæc descriptio omnium propriissimè quadrat. Profectò si sacras vtriusque testamenti literas à capite ipso ad calcem vsque perlustramus, non reperiemus aliam quam vnam Mariam sponsam Iosephi iusti: ea enim tam fuit & à peccatis pura & virtutibus illustris, vt angelus Domini Gabriel ipsam gratia plenam præque mulieribus cunctis benedictam vocarit. Quomodo quæso potuit esse gratia plena, si vllas peccati habuisset maculas? Quomodo item iniusta & prophana fuit, si fuit benedicta inter omnes mulieres? Hic tamen nemo arbitretur, natura illam fuisse puram & sanctam: id enim soli Messia proprium est. Gratiam inuenit apud Dominum, hoc est, ab æterno est prædestinata vt fieret Messia mater. Ve igitur prædestinata est, ita & ab æterno diuinitus est præseruata ac sanctificata. Certiores itaque iam de matre Messia facti sumus: & hæc de illa dicta sint hætenus.

Cæterum quod spectat ad ipsum Messiam, ad hunc modum inquit Esaias: *Et flos de radice eius surget, & reo quiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilii & sortitudinis, spiritus scientia & timoris Domini. Et ipse benè spirantem eum faciet in timore. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in equitate propter mansuetos terra, &c.* His verbis duo præcipua declarat: prius est, Messia natura seu proprietate: posterius autem est, eiusdem officium & effectus: hoc est, primò vaticinatur, fore illum hominem & Deum: Deinde dicit, ipsum iudicaturum & argutu-

arguturum, hoc est, saluatorum & condemnatum. Saluatorum quidem pauperes & mansuetos terræ, hoc est, peccatores respicientes & credentes: condemnatum autem impios, hoc est, obduratos & incredulos. Quod verò Messias & Deus & homo simul futurus esset, præter alios fide dignos testes Baruch etiam Propheta clarè testatur cap. 3. de ipso loquens: Hic est (inquit) Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob seruo suo & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus est conuersatus. Quod autem & iudicaturus arguturusque esset Messias, ipse Dominus apud Hierem. 23. apertissimè comprobatur: Faciet (inquiens) iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iehuda, & Israel habitabit confidenter. Hic iam certificamur, Messiam geminam habiturum naturam, saluatorumque & iudicaturum. Audiamus itaque & consideremus consequenter, in quo nam utraq; & natura ipsius & officij proprietates verè tum deprehensa sit, tum deprehendatur. In nullum alium hæc Messiae descriptio competit, quàm in vnum Iesum Nazarenum Mariæ virginis filium: is nanque re vera & Deus & homo fuit, ut & etiam nū est: quem admodum ex gestis ipsius est certissimum, & Gabriel præsertim comprobatur, ad Mariam dicens: Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Luc. 5. Is & re vera iudicauit atque arguit, iudicaturusque & arguit. Nam omne iudicium accepit à patre. Ioan. 5. saluator est omnium hominum, maximè fidelium. 1. Timot. 4. super ipsum verè & requieuit & requiescit spiritus Domini. Matth. 3. Ioan. 1. Ipse sapientia ipsa est. 1. Cor. 1. Ipse dat intellectum. Luc. 24.

Ipse est,

Ipse est, qui omne consilium patris nobis reuelauit. Ioan. 15. Ipse est fortis ille, qui fortem Sathanam alligauit & spoliavit. Lucae 11. Ipse scientiæ & timoris Domini tum doctor tum largitor est. In summa, in ipso sunt omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauri reconditi. Coloss. 2. Hunc ergo agnoscamus verum Messiam, verum & hominem & Deum, verum saluatorem & iudicem. Apud hunc quæramus sapiëntiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam & timorem.

IN EANDEM CONCIO

TERTIA.

Lectio hæc vaticinium est de matre Messiæ ac Messia ipso; & duabus quidem de causis in hoc tempus quadrat, primò nimirum propter præsentem conceptionis Mariæ ferias, deinde verò propter ipsum Aduentum. Nam & matris Messiæ (quæ Maria verè est) describitur in ea progenies ac conceptio, & Messiæ promittitur in eadem aduentus ac officium. Sed consideremus primò, quid de matre Messiæ Esaias dicat. Scribit nimirum, egressuram, hoc est, concipiendam & nascituram illam è radice Iesse, hoc est, progenie Dauidis, cuius pater Iesse seu Isai fuit: & virgam quidem futuram esse. Oportebat autem ipsam ex Dauidis stirpe concipi ac nasci, quòd ipse Messias Dauidis filius esse debebat. Virgam verò esse illam necesse erat, quòd alioquin non potuisset proferre florem hunc. Verùm hæc postrema verba paulò penitiùs expendenda nobis sunt, quòd ea videlicet cum primis faciunt ad institutum nostrum. Virga oritur quidem ex arboris radice, sed radiceis sordes non habet, quippe quæ sit & intus tota candida, & extrinsecus omninò viridis.

Est igitur

Amos.

Est igitur sensus: quòd & Messiae mater concipienda quidem ac nascitura ex parentibus peccato originali infectis, verùm concipienda ac nascitura citra originalis peccati sordes, & immaculata & omnium virtutum virore prædita.

Quare piè vereque Ecclesia docet ac credit, Mariam (quæ nimirum ipsissima Messiae mater est) conceptam, natamque esse sine originis vitio, incorruptam inquam ab omni labe peccati præservatam divinitus. Atque hoc ita esse oportuisse, evincit primum primus Adam: is enim ex terra virgine & nondum maledicta formatus est: decuit igitur & secundum Adamum (qui Christus est teste Paulo) ex virgine nulli maledictioni obnoxia formari. Deinde verò testatur Sapiens, non in animam maleuolam introire sapientiam, neque habitare in corpore subdito peccatis. Sapient. 1. Atqui Christus æterna Dei sapientia introiuit in animam Mariæ, habitauitque in eius corpore nouem menses. Consequitur itaque & hinc, ab omni illam peccato fuisse immunem ac puram: Vnde nempe ab angelo etiam salutata est gratia plena & benedicta præ cunctis mulieribus. Luc. 1. ideoque & Ambrosius rectè dicit, dum vocat Mariam virgam, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuerit.

Cæterum veniamus nunc & ad ipsius Messiae personam. De hoc dicit Esaias, quòd flos de radice virgæ ascensurus esset, superque eum florem requieturus Spiritus septemplex, ipseque iudicaturus in iustitia & æquitate omnes æquè homines. Vocatur autem flos Christus, quòd sit speciosus forma præ filiis hominum. Psalm. 44. adeò, ut ipsi etiam angeli prospicere in ipsum desiderent. 1. Per. 1. Vocatur item flos, quòd sit suaueolentissimi odoris coram Deo
patre.

patre. Esa. 42. Matth. 3. & 17. cui & seipsum tandem pro nobis obtulit victimam in odorem fragrantiae. Ephe. 5. Vocatur denique flos, quod per ipsum vnum & floreat in virtutibus, & boni odoris seu gratiae coram Deo sint, quotquot florent, & Deo sunt chari. Ioan. 1. Eccles. cap. 24. Quod verò testatur Propheeta, super ipsum requieturum spiritum sapientiae & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiae & pietatis, spiritum denique timoris Domini: eo nihil innuitur aliud, quam ipsum verè esse & regem & sacerdotem, vnctum oleo lætitiæ præ consortibus suis, vnctum inquam spiritu sancto & virtute. Psalm. 44. Ioan. 3. Act. 10. in ipso item habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter, omnesque thesauros sapientiae & scientiae in ipso esse reconditos. Coloss. 2. ipsum denique nostram esse sapientiam, nostrum intellectum, nostrum consilium, nostram fortitudinem, nostram scientiam, nostram pietatem, nostrum timorem, adeoque omnia in omnibus. 1. Corinth. 1. Coloss. 1. & 3. Porro quod dicitur præterea iudicaturus esse in veritate & iustitia, percussurusque terram virga oris sui ac spiritus labiorum suorum interfectorus impium: inde docemur, esse ipsum seruatorem cordis ac verum Deum, esse doctorem veritatis & iustitiæ, iudicem viuorum & mortuorum, seruatorem, defensoremque pauperum ac mansuetorum, condemnatorem incredulorum ac impiorum, portantem, efficientemque omnia verbo suo. Vide, huiusmodi florem protulit nobis virga lesse Maria, & protulit quidem eum ex sua radice, hoc est, non aliunde quam ex sua carne, ex sua substantia, sed per operam spiritus sancti. Hunc igitur florem nobis datū obuijs vnus amplectamur & exosulemur, in eo nos oblectemus, eius odorem

suauissimum spiremus semper, hoc est, Christum
 Mariæ filium agnoscamus, ipsi fidamus, ipsum di-
 ligamus, ipsum denique & verbis & moribus per
 omnem vitam referamus. Sic nimirum sensuri ip-
 sum sumus, non iudicem, sed seruatorem, defenso-
 rem, felicitatorem.

FERIIS CONCEPTIONIS MA-
 RIAE, IN EVANGELIVM
 CONCIO PRIMA.

*Et erat eiiciens demonium, & illud erat mu-
 tum, &c. Luca. XI.*

*Habita an
 no 48.*

DVplex encomion Euangelio hoc continetur:
 altero mater Seruatoris nostri Iesu concele-
 bratur: altero autem laudantur omnes verbi Dei au-
 ditores factoresque: Prius eulogium in medium at-
 tulit mulier quædam è promiscua turba: posterius
 verò ipse Dominus Iesus inuexit. Contemplemur au-
 tem vtrunque paucis, sed diligenter.

Prioris (eius nimirum, quo extollitur mater vir-
 go) & insigne Domini miraculum, & horrenda Pha-
 risæorum blasphemia occasio fuit. Nani eo tempore
 Dominus hominem dæmoniacum & cæcū & mu-
 tum curauerat, adeò, vt non modò à dæmonio esset
 liberatus, verum etiam & loqueretur & videret.
 Matth. 12. Scribæ verò & Pharisæi, etsi sciebant, fa-
 terique cogebantur, hoc factum prorsus esse diui-
 num, excæcati tamen odio & inuidia in Iesum, dæ-
 monio illud adscribebant: dicebantque igitur, in
 Beelzebub principe dæmoniorum eiecisse ipsum dæ-
 monia. Tametsi autem reliquæ turbæ contrò admi-
 rarentur, tantumq; miraculum adscriberent Deo,
 nemo tamè ausus fuit blasphemos illos perstringe-
 re, ac defendere Dominū: tam videlicet eos timebat.

Quum

Quum igitur nemo prodiret, qui palàm Deo daret
 gloriam, audiretq; mulier quæpiam eximia illa ar-
 gumenta, quibus Dominus euincebat non eiecisse
 se dæmonia per dæmonium: succensa zelo diuino,
 erupit voce magna in matris eius laudem, eoq; en-
 comio ipsum Dominum testè concelebrauit, contra
 contemptores illos blasphemos. Sic verò dixit: *Bea-
 tus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Quasi dicata
 Bone Iesu, tam insigne diuinitatis sanctitatisque hinc
 edidisti specimen, vt omnes fateri cogantur, diuinū
 sanctumq; te virum esse, immò & hinc colligere cer-
 tō possint beatam esse matrem, quæ tantum filium
 & suo vtero portauerit & vberibus lactauerit. Non
 enim potest fieri, vt tu ex matre subdita peccatis
 prodieris. Sed num mētita etiam mulier est? Nequa-
 quam. Sapiens inquit: In animam maleuolam non
 introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdi-
 to peccatis. Sapientia autem vera & ipsissima, Domi-
 nus noster Iesus Christus est. Quando ergo ille in
 Mariam è cælo delapsus sit, inque eius corpore no-
 uem habitauerit menses, consequitur omnino, eandē
 animam habuisse sanctam & corpus à peccatis pu-
 rum: alioqui enim non ingressus in ipsam fuisset il-
 le. Adhæc disertis verbis angelus Gabriel beatitudi-
 ni eius fert testimonium: *Aue* (inquiens) *gratia ple-
 na Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Et
 Elizabeth: *Beata* (inquit) *quæ credidisti, quoniam
 perficiuntur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Lu-
 cæ 5.* Prononciemus itaque & nos vnà cum muliere,
 immò cum Gabriele & Elizabetha, Mariam matrem
 Iesu beatam, gratia plenam, benedictam. Sic autem
 prononciemus, vt simul congratulemur ei, fructum
 que illum benedictum ventris eius agnoscamus, a-
 memus, magnificemus.

Iam posterioris encomij hæc fuit occasio: Mulier inde fortasse matrem Iesu beatam iudicabat, quòd gestasset illum vtero hominèq; edidisset. Adhæc poterant turbæ cogitare, si propterea mater esset beata quòd genuisset illum, se prorsus beatitudinis esse extorres, vtpore qui illum non genuissent. Vt igitur vtranque opinionem corrigeret Dominus, subiunxit statim: *Immò, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quasi dicat: Vera quidem loqueris muliercula, quòd beatam matrem meam prædicas: verum nõ ob hoc solum, quòd me corpore conceperit genueritque, beata est: sed multò magis ob id est beata, quòd & anima, hoc est, fide, me & conceperit & genuerit: nempe verbum Dei audierit custodieritque. Immò non ipsa sola hac ratione beata est, sed & omnes sunt beati quotquot sic me cõceperint ac genuerint, hoc est, verbum Dei audierint & custodierint illud. Panditur itaq; hîc nobis omnibus via, qua spirituales Domini Iesu matres fieri æternumque beati esse possimus. Sed quid est, Audire verbum & custodire illud? Est, illud & externis auribus excipere & mente sedula versare, tum quoque credere ei ex animo & obedire. Vt igitur ynà cum Maria Christum verè & concipere & gignere possimus, sicque beati esse, audiamus diligenter verbum Dei, in eo meditemur noctu diuque, ei ex animo credamus, iuxta illud denique omnem vitam nostram componamus.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

ANNO 50.

DVo encomia hoc in Euangelio proponuntur nobis: altero, laudatur mater Domini: altero autè, verbum Dei euehitur. Prius mulier illa de turba instituit: posterius verò intulit ipse Dominus.

Quod

Quod illud quidem attinet, ita habet res: Eiecerat Dominus ex homine quodam cæco & surdo dæmonium mutum, ita ut is iam & loqueretur & videret, & audiret. Et si iam hoc ipsum tantum omninò erat beneficium, ut omnes spectatores ob id iure optimo Domini & misericordiam & potentiam summis celebrassent laudibus: adfuerunt tamen non pauci, quorum quidam illud tanquam vile aspernarètur, quidam verò & Beelzebub principi dæmoniorum quasi auctori idem tribuere ausi essent.

Quum igitur postremi isti apertè in Deum blasphemarent, coactus est Dominus blasphemiam hanc retundere, & suum contrà miraculum tanquam diuinum adserere: ideoque argumentis aliquot irrefragabilibus eucit, non posse Sathanam à Sathana expelli: se verò per digitum Dei seu per Spiritum sanctum eicere dæmonia, ideoque verum Messiam se esse. Verùm nihilominus manserunt illi in sua malitia, quamuis ne vnicum quidem verbum respondere contrà possent. Alij autem, qui nimirum melius sentiebant de Domino, admirati quidem sunt de miraculo facto & responsis eius: at nemo interim illorum prodijt, qui ipsum auderet contra hostes illos defendere, atque apertè Deo gloriam dare. Omnibus ergo obmutescens & tacentibus, exiijt mulier illa, voceque magna Dominum coram vniuersa turba laudauit: in quo nimirum facinore verè completum est illud Dauidis: Ex ore infantium & lactantiũ perfecisti laudem propter inimicos tuos. Psal. 8. Sic autem exclamauit, ad Iesum dicens: *Beatus venter qui te portauit, & vbera que suxisti.* Miserè annis aliquot à quibusdam mulier hæc irrita est propter encomium huiusmodi, quasi scilicet nimis carnaliter senserit. Verùm certè haud vllam commeruit subsannatione

suggillationem uē, ut quæ longè verissima sit locuta. Nam utiq; beatus fuit venter Mariæ, qui gestauit Iesum: nisi enim beata & sancta illa fuisset, nō quiescisset in ea ipsa Dei sapientia, ut quæ (iuxta Sapientis dictam) in animam maleuolam non ingreditur, nec habitat in corpore subdito peccatis. Sapient. 1. Quid, quòd & ab angelo apertis verbis dicitur benedicta præ cunctis mulieribus, atque ab Elizabeth beata? Beata (inquit) quæ credidisti, quoniam perficietur quæ dicta sunt tibi à Domino. Agnoscamus igitur & nos illam beatam, sanctam, immaculatam.

Cæterum quòd sic mulier Mariam pronunciauit beatam, id in gloriam retulit filij. Quasi dicat: Propterea matrem tuam beatam voco, quòd te ediderit, qui tanta polleas potentia ac sanctitate. Docemur ergo hinc, quid sit laudare Dominum in sanctis suis, nempe sic prædicare & honorare eos, ut Domini misericordia, potentia quæ inde illustretur, quam videlicet in ipsis operari conspiciamus. Sed hæc de priori encomio dicta sufficiant.

Nunc ad posterius quoque veniamus: *Respondit Iesus: Quin immò, beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Hoc responso non reiecit prius encomium: sed ostendit, vnde omnium maximè beata sit sua mater, atque adeò vnde & nos vnà cum Maria beati fieri possimus. Est quidem illa meritò beata & benedicta præ cunctis mulieribus accensenda, quòd ipsi soli datum sit edere mundo Dei filium & orbis saluatorem: verum multò magis benedicta & beata dicenda est, quòd verbum Dei audierit, custodieritq; hoc est, tam fide illum spiritualiter cœperit, quam corpore corporaliter. Quod quidem corporalem filij Dei conceptionem, natiuitatemque attinet, est ipsa sola vnica eius mater: at quod attinet ad spiritualem,

tualem, possumus & nos omnes eius fieri matres. Nam sic inquit in Euangelio: Qui facit voluntatem patris mei cœlestis, hic frater meus & soror mea & mater est, Marc. 3. Audiamus igitur sedulò verbum Dei, & custodiamus illud, huic credamus, huic obediamus, iuxta hoc denique totam instituamus vitam. Sic enim verè impleuerimus voluntatem Dei, siemusque Christi fratres, sorores ac matres, ac beati æternum erimus.

FERIIS D. THOMAE APOSTO-
LI, IN EPISTOLAM
CONCIO.

*Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia
meditabitur, & in, &c. Eccles. XIII. XV.*

Hæc Lectio duo habet peculiariter: prius est, *Habitu*
quisnam verè sit beatus: posterius, quæ beatitu
no 45.
dinis præmia is consequuturus sit. Vtrunq; iam vo-
bis tum breuiter tum dilucidè proponemus. Vestrū
autem erit, vt si veram beatitudinem & nosse & asse-
qui velitis, summa diligentia aduertatis animum.

De priori sic Syrach inquit: *Beatus vir, qui in sapien-
tia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu
suo cogitabit circumspectionem Dei: qui cogitat vias illius in
eorde suo, & in absconsis suis intelliget: qui vadit post illam
quasi inuestigator, & in viis illius consistit: qui respicit per
fenestras illius, & in ianuis illius audiet: qui requiescit iuxta
domum illius, & in parietibus illius figet palum.* Ex his
verbis videmus, quàm multa sint, quæ ad beatum
virum pertineat. Non enim satis illi erit, si vna dun-
taxat aut altera virtute sit præditus, sed oportet ipsi virtutes æquè omnes adesse. Nec erit satis, si
benè incipiat, verùm hoc etiam requiritur, vt &
ddd 4 benè

bene pergat & perseueret: Neque sufficiet, si aut ore
 solum aut cogitatione aut opere munere fungatur
 suo: sed necessarium quoque erit, vt & verbis & co-
 gitationibus & operibus simul huc insistat. Cate-
 rum vt hæc tam multa breui fasciculo complecta-
 mur, duo præsertim in viro beato requiruntur. Prius
 est, vt in sapientia moretur, in iustitia meditetur,
 circumspectionem Dei cogitet: alterum verò est, vt
 cogitet vias illius, vadat post illam, in semita illius
 consistat. Priori exigitur fides, altera vita. Porrò sa-
 pientia, iustitia & circumspectio Dei hîc idem pol-
 lent, in eandem ac vnâ personam quadrant: nimi-
 rum in vnigenitum Dei patris filium Iesum Chri-
 stum seruatores nostrum. Is nanque solus verè est
 Dei sapientia, iustitia, & circumspectio. *i. Corinth. i.*
 Sapientia quidè, quòd per ipsum sapientissimè con-
 dita sint omnia, tum visibilia, tum inuisibilia, quod-
 que solus largiatur veram sapientiam, veram Dei
 cognitionem. *Matth. ii. Coloss. i. Hebr. i.* Iustitia au-
 tem, quòd ipse per sanguinem suum pretiosissimum
 omnes nostras iniustitias abluerit, nos iustificauerit,
 & æterna iustitia donauerit. *Roman. 3. 5. Ephe. 2.*
Hebr. 9. Circumspectio autem, quòd per hunc pater
 cœlestis non solum nos condiderit & redemerit, ve-
 rum etiam vt semper sic & hodierna die nos guber-
 net, cõseruet, alat, tueatur ac defendat, *Eph. 4. Heb. i.*
 Quicumque igitur suam agnoscens stultitiam, hunc
 vnum suam sapientiam statuit, suam agnoscens in-
 iustitiam huius vnus nititur iustitia, suam agno-
 scens imprudentiam huius vnus circumspectioni &
 curæ confidit, is priorem beati viri particulam ha-
 bet, is potest eum Paulo dicere: Iustificati ex fide pa-
 cem habemus apud Deum per Dominum nostrum
 Iesum Christum: per quem habemus accessum me-
 diante

diantē fide in istam gratiam, in qua stamus, & gloria mur in spe gloriæ filiorum Dei. Rom. 5.

Iam alterum, quod (vt diximus) in viro beato requiritur, est, vt cogitet vias diuinę Sapientię, post illam verò vadat, & in semitis illius perseveret. Post illam verò vadere, est Christum imitari, idq; tum vita, tum passione seu morte. Vita autem ipsius fultit omnigenis virtutibus, humilitate, mansuetudine, charitate, misericordia. At passio eius seu mors plena fuit patientia, modestia, longanimitate. Cæterum in semitis illius cōsistere, est in pietate perseverare vsque in finem, cursum suum consummare, Matt. 24. Quicunq; ergo sic in fide sua (vt ait Petrus) subministrat virtutem, hoc est, bonis operibus incumbit, vitę innocentię studet, honestam conuersationem habet, quascunq; afflictiones propter Christum & iustitiam irrogatas tolerat, inq; huiusmodi sua professione obdurat, is verè & alteram viri beati habet portionem, estq; proinde verè censendus beatus. Atque hæc de priori huius Lectionis parte hæctenus.

De posteriori sic porro Sapiens inquit: *Requiescent in casula illius (beati) bona per eum statuet illa filios eius sub tegmine suo, & sub ramis suis morari faciet, protegetur ipse sub tegmine illius à seruore & in gloria eius requiescet.* Ex his verbis palam nobis fit, quanta præmia virū beatum tum hinc tum illic maneant, videmusque, quam non frustratura sit eum sua fides. Quemadmodum Christum agnoscit suam sapientiam, sic ab hoc etiam sapientia vberima donabitur. Quemadmodum item ipsum agnoscit suam iustitiam, ita iustitiam quoq; sempiternam ab hoc assequetur. Sic quemadmodum ipsum agnoscit suam circumspectionem, hoc est, gubernatorem, altorem, & protectorem, ita ab hoc etiam cum omnibus suis, diuitijs, vxore, filijs,

domesticis, gubernabitur, nutrietur, seruabitur, defendetur, ac tandem æternam immarcescibilis gloriæ coronam sortietur. Hanc autem sententiam plus quàm pulcherrimè Psaltes noster confirmat in hæc verba, Psalm. 90. Scapulis suis obumbrabit tibi Dominus, & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurfu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Amplif.

Repete, inculca, & hortare.

IISDEM FERIIS, IN EPISTOLAM CONCIO PRIMA.

Iam igitur non estis hospites & incolæ, sed conciuos sanctorum, ac domestici, &c. Ephes. II.

*Habita
anno 48.*

E Pistolam hanc in duo breuiter partiemur. Primò audietis, quæ & quanta bona nobis Gentibus sua passione & morte Christus contulerit: Deinde verò accipietis paucis, quid ille à nobis vicissim in gratitudinis symbolum postulet. Admonitos autem vos velim, vt animum aduertatis sedulo. Nam vtrunque & nos omnes concernit & propter nos scriptum est.

De priori quidem, quid videlicet nos per Christum acceperimus, ita D. Paulus ait: *Iam non estis hospites & aduena, sed conciuos sanctorum & domestici Dei, supero*
structi

*fructi fundamento Apostolorum & prophetarum, ipsi summo
 angulari lapidi Christo Iesu. His verbis tria præsertim bo-
 na nobis per Christum parta comprehenduntur: ve-
 primum est, summa pax: secundum est, maximus fa-
 uor: tertium, inuicta potentia seu fortitudo est. In-
 ter eiusdem ciuitatis ciues est quidem pax aliqua,
 sed tum imperfecta tum terrena seu mundana: ve-
 rum inter sanctorum ciues pax est & perfecta & cœ-
 lestis & æterna, nempe conscientia pax. Quantum
 autem bonum sit habere pacem, & pacem quidem æ-
 ternam, ex opposito pacis (turbulentia nimirum)
 facillimè colligere est. Nihil est miserius cruciabili-
 usq; quàm perpetuis disidijs, angoribus & afflictio-
 nibus (præsertim animi) inquietari ac vexari. Sum-
 mum igitur contrà bonum est, semper pacato & trà-
 quillo esse animo. Quum igitur tanta pace nos dona-
 uerit Christus, quum conciuēs sanctorum nos fece-
 rit, eximium profectò in nos contulit beneficium.
 Impetrasse autem illum nobis pacem, apertissimis
 verbis Apostolus paulò antè in eodem cap. testatur:
 Per Christum Iesum (inquit) vos, qui quondam era-
 tis longinqui, propinqui facti estis per sanguinem
 Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex vtrisq;
 vnum, & interstitium maceria diruit: simultatem
 per carnem suam, legem mandatorum in decretis si-
 tam abrogans, vt duos conderet in semetipso in v-
 num nouum hominem, faciens pacem: & vt recon-
 ciliaret ambos in vno corpore Deo per crucem, per-
 emptā inimicitia per eam: & veniens euangelizauit
 pacem vobis qui procul aberatis, & ijs qui propè.
 Hæc quidem de pace. Nunc autem & de fauore audi-
 amus, quem per Christum sumus assequuti. Magni
 ducimus, si Princeps aliquis terrenus suo nos fauo-
 re complectatur. Ita enim omnia nos apud ipsum
 impe-*

impetraturos speramus. Sed quid est principum fauor? Vapor est citò euanescent. Non diurnus illorum fauor est: aut si maximè sit diurnus, imperfectus tamen est. Non enim omnia in ipsorum manu sunt. At Dei fauor contrà & perpetuus est & perfectus. Quem is semel fauore complexus fuerit, ei perpetuò fauet: qui in huius fuerit gratia, ei nihil unquam deesse potest, is omnia habet & in cælo & in terra. Quando itaq; hunc Dei fauorem nobis conciliarit Christus, quando nos domesticos & amicos Dei intimos constituerit, maximo sanè nos ornauit beneficio. Quòd autem verè huiusmodi fauorem nobis conciliarit, apertis verbis testatur D. Paulus hoc eodem cap. Per illum (inquit) habemus aditum vtriq; in vno spiritu ad patrem. Et Colof. 1. Vos (ait) qui quondam eratis abalienati & inimici mente in operibus malis, nunc tamen reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberet vos sanctos & irreprehensibiles & inculpatis in conspectu suo. Hæc verò de fauore dicta sint: iam de inuicta quoq; potentia audiamus. Nituntur alij mundi potentia, nituntur corporis viribus, cõstituunt fortitudinem suam in curribus & equis: Verùm omnia vana & euacua sunt. Habemus hostes, quibus potentia mundi ludus sit, qui corporis vires rideant, qui omnia arma bellica pro nihilo ducant. Inuisibiles enim sunt, incorporei, & spirituales. Illa sola inuicta fortitudo est, Christo superstructum esse, huius potentia niti. Nam is Dei virtus & sapientia est, is potentia Dei est ad salutem omni credenti, in hoc possumus omnia. Super hanc petram (inquit Dominus ipse) hoc est, super memetipsum, ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Matth. 16. Quia ergo huiusmodi inuicta potentia (hoc est, semet-

femetipſo & omnibus viribus ſuis) nos donauit Chriſtus, ingens in nos beneficium cōtulit profectò, cogunturq; cedere omnes hoſtes noſtri, peccatum, Sathan, mors, mundus, caro, & infernus. Vide, hæc tanta bona conſequuti ſumus per Chriſtum, hæc ille nobis impetrauit.

Cæterum de poſteriori (quid ſcilicet Dominus viciffim in grati animi ſymbolum à nobis poſtulet) ita inquit Apoſtolus noſter: *In quo (Chriſto) quæcumque ſtructura coagmentatur, ea creſcit in templum ſanctum in Domino: in quo & vos coadiſcimini in habitaculum Dei per ſpiritum.* His docemur verbis, in eum finem ſuperſtructos eſſe Chriſto Ieſu, quotquot ei ſuperſtructi ſunt, vt euaderent in templum ſanctum Domini, hoc eſt, vt is in illis & habitaret & quieſceret & operaretur. Hoc itaque vt ab alijs electis, ita & à nobis poſtulat, vt ſimus habitaculum ipſius per ſpiritum, hoc eſt, vt ſanctè & iuſtè viuamus coram ipſo, vt in ſanctitate & iuſtitia ſeruiamus illi omnibus diebus vitæ noſtræ, vt ad ipſius voluntatem nos comparemus, vt in bonis operibus ambulemus, vt per bona opera noſtra electionem & vocationem noſtram firmam faciamus, Ephe. 1. Luc. 1. Tit. 2. Ephe. 2. 2. Petr. 1. Si igitur in eum finem nos Chriſtus pace, fauore & potentia donauit, ſi hoc à nobis poſtulat viciffim, vt ad ipſius nutum viuamus: agè, reſpondeamus ſedulò fini huic, grati ipſi ſimus, conſecremus nos ipſi totos & corpore & animo, & vita & omnibus viribus noſtris.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

Epiſtola hæc ea de cauſa in hiſce D. Thomæ ſe- Anno 580
rijs nobis prælegitur, quòd inter cætera fundamenti præſertim apoſtolorum & prophetarum me-
minet

minerit. Fuit enim Thomas vnus de duodecim apostolis ac præcipuis noui testamenti prophetis, Euangelio teste: qui nimirum in Apocalypsi duodecim fundamenta Ecclesiæ dicuntur, quòd in fide & doctrina ab eis prædicata fundata illa sit. Apocal. 21.

Cæterum vt ad statum scopumque præsentis Epistolæ nos conuertamus, proponuntur in ea bona per Christum ipsissimum fundamentum apostolorum ac prophetarum nobis Gentibus cõmunicata & parta: quæ nempe sunt, quòd nos, qui olim eramus hospites & aduenæ, hoc est, à gratia ac salute alieni exclusiq; iam sumus conciuues sanctorum & domestici Dei per Christum facti, hoc est, vocati, reconciliati, sanctificati & saluati. Nam superstruxit nos Christus (summus ille lapis angularis) super fundamentum apostolorum ac prophetarum, hoc est, super semetipsum, à prophetis prædictum & apostolis prædicatum, quo omnes Sancti vnicè nituntur, & in quo omnium spes recumbit. Is inquam superstruxit nos super semetipsum, hoc est infirmitates, iniquitatesq; nostras portauit & dependit, suorumq; meritorum nos per fidem ac sacramenta fecit participes. Esa. 53. 1. Pet. 2. 2. Tit. 3. Est igitur vnde gratias ei agamus perpetes: est quoque vnde ex animo exultemus & lætemur semper.

Sed in quem finem tantis nos Christus bonis cumulauit? Quicunque illi tanquam viui lapides superstructi sunt, ij succrescunt in ædificium spirituale, hoc est, in templum sanctum Domini. Sumus igitur & nos in finem hunc Christo superstructi, vt per inhabitantem in nobis spiritum sanctum, templum ac domicilium Dei simus, hoc est, corpora & corda nostra ipsi sanctificemus, ipsumq; in nobis per fidem & charitatem habeamus habitantem. Facti itaque templum

templum sanctum Domini, sanctitati etiam & iustitiae per omnem vitam studeamus, neque quid (quod inhabitantem Spiritum sanctum offendere possit) reperiri in nobis sinamus: quò sic tandem in caeleste regnum templumque transferri nos feliciter contingat: Amen.

FERIIS D. THOMAE APOSTOLI, IN EVANGELIVM CON- CIO PRIMA.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didimus, non erat cum eis, &c. Ioan. XX.

Quoties nobis Euangelicæ historiæ proponuntur, semper cogitandum est, eas non illorù gratia, quorum faciunt mentionem, sed propter nos potius scriptas esse: vt nimirum inde pro necessitate nostri tum doctrinam, tum adhortationem, tum præmonitionem, tum patientiam, tum consolationem eliciamus. Sic & præsens Euangelij hodierni historia, in qua de Thomæ apostoli incredulitate, & nostri Iesu erga ipsum mansuetudine audiuitis, non propter ipsum Thomam peculiariter, sed in nostri fauorem ac vtilitatem literis mandata est, nobis quoque ob oculos statuitur. Quare tanto etiam maiori attentione incumbere hic omnes merito debemus. Quam vt & vos in præsentia præstetis, rogatos iuxta ac admonitos velim. Quoniam verò duæ præsertim hic personæ nobis præfiguntur, Thomæ nimirum & Iesu, iccirco de his iam solis paulisper agemus.

Habita anno 45.

Quod igitur ad Thomæ attinet personam, sic Euangelista inquit: *Thomas autem vnus ex duodecim, quò dicitur Didimus, non erat cum discipulis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem*

eis dixit: Nisi videro in manibus eius vestigium clavorum, & misero digitum meum in vestigium clavorum, & misero manum meam in latus eius, non credam. Hic ex Thoma videmus, quid ac quales nos simus naturam omnem. Tamen si ille decem testes coram audiret, vnam imiter testificantes, sese vidisse rediuium Dominum, tamen quantum ipsemet eum non videbat presentem, audiebat ad se loquentem, contrectabat palpabilem, non solum non credidit, sed nec credere quidem potuit, eum verè resurrexisse, verè viuere. Ad hunc sanè modum & omnes nos affecti sumus, eundem nos quoque habemus animum. Prædicatur quidem nobis verbum Domini, Dei nobis proponuntur mandata, fides Christi annunciat: Verum nihilo minus laboramus ignorantia, obstinacia, & incredulitate. Nec volumus ex animo, nec possumus verbo Dominico assentiri, Dei præcepta amplecti, fidem suscipere: immò & indignamur illis, qui huiusmodi nobis proponant. Hæc autem sic habere, præterquam quod ipsi (velimus, nolimus) fateri cogamur, D. etiam Paulus apertissimè testatur, dum 1. Corinth. 2. dicit: Anima illis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: Stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Sed quorfum hæc dixerit quispiam? Huc sanè, vt agnoscere nosmetipsos discamus, & inde eò ardentius Iesu Spiritum impetremus nobis. Atque de Thomæ persona hæc paucis dicta sint.

Cæterum quod ad Iesu personam attinet, sic porro inquit Euangelista: *Et post dies octo iterum erant discipuli intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dicit Thomas, Inser digitum tuum huc, & vide manus meas, & asser manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed credens.*

Hic videmus in Iesu nostro, quid & qualis ipse sit. Poterat

terat optimo iure Thomam increpasse propter in-
credulitatem, quòd nimirum tot & tam fide dignis
testibus suam resurrectionem affirmantibus nõ cre-
didisset: Attamen nihilominus clémentissimus ser-
uator mansuetudine in ipsum vsus est maxima, ad eò
ipsum non obiurgauit, vt & amantissimis verbis ip-
sum affatus sit, immò sese & videndũ & contractan-
dum exhibuerit. Nõ est aut quòd arbitremur, ipsum
huiusmodi affectũ nunc mutasse: non mutauit cer-
tè, non iam alius est: idem est Dominus heri & hodie
& in secula, diues in omnes. Certificamur ita, quòd
quemadmodum sese erga incredulum Thomam ges-
sit, ita & in nos sese sit gesturus: quemadmodũ illum
ob fidei suæ imbecillitatem nõ reiecit, sic nec nos sic
reiecturus: quemadmodum illum leniter tractauit,
sic & nos leniter sit tractaturus: quemadmodum illi
sese videndum & tangendum exhibuit, sic & nostris
cordibus se sit insinuaturus, vt eũ perfectè agnoscea-
re possimus: si modò tamen Thomam imitemur, &
uisitantem Christum agnoscamus tum Dominum
tum Deum. Atque hæc de Iesu persona hæctenus.

Sed audiamus nunc contrà Thomæ fidei confes-
sionem: Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & De-
us meus. Dicit ei Iesus: quia vidisti me Thoma, credidisti: beati
qui non viderunt & crediderunt. Posteaquam Dominus
sese tandem ei præsentem & rediuiuum exhibuit;
& quidem contractandum quoque pro voto obtu-
lit: ibi illè in hæc erupit verba, Dominus meus &
Deus meus. Hic nimirum abundè refarciuit, quic-
quid discredendo peccauerat, neglexeratq; antea. De
quo antè aut nihil aut parum supra humanitatem
senserat, hunc iam & Dominum & Deum confitetur:
Dominum inquam, hoc est, redemptorem ac regem
vniuersorum: & Deum, hoc est, vitam & conseruatio-

Ex concilio
ne habitis
anno 514.

nem omnium creaturarum. Vide autem, quòd non simpliciter dicit, Dominus & Deus es: sed Dominus meus & Deus meus: vera enim fides non solum credit, Dominum & Deum verè Dominum & Deum esse: sed & insuper credit, illum esse suum & Dominum & Deum, hoc est, eundem sibi benè velle, omniaque bona sua in credentium vsus spontè, liberaliterque profundere. Talis fuit Thomæ & fides & confessio: formula nimirum veræ fidei & confessionis vt breuissima, sic & longè absolutissima. Quemadmodum igitur nos ex Thomæ incredulitate natiuam cordis nostri in rebus diuinis cæcitatem, ignorantiamque discere debemus, ideoque de nostra ratione & intellectu diffidere, & quicquid in nobis est lucis soli Deo auctori ferre acceptum: sic quoque vicissim ex illius sequenti fide ac confessione, nostram fidem & confessionem debemus tum formare tum confirmare, credereque & confiteri ex animo, Dominum Iesum & nostrum esse Dominum ac Deum, hoc est, sua morte & resurrectione nos suæ redemptionis ac diuinitatis fecisse participes: ita, vt nos quoque per ipsum domini & dii quodammodo simus. Sed interim, dum confitemur ipsum esse Dominum nostrum & Deum nostrum, videamus etiam, vt ipsum tanquam Dominum veneremur ac timeamus, vt item eundem tanquam Deum adoremus, amemus, & colamus.

*Ex concione
me habita
anno 45.*

Audiuistis iam breuiter, primò, quid & quales simus nos: nimirum ante acceptum spiritum, vti Thomas ante visum Dominum, carnales, stupidi, obstinati, & increduli: Deinde quid & qualis sit Christus, nempe Dominus iuxta ac Deus, idemque mansuetissimus ac misericordissimus seruator. Reliquum nunc est, vt quemadmodum ipsi naturam carnales & imperfecti sumus, sic & tales nos agnoscamus, cristasque
pro-

proinde ac nostri placentiam ponamus: contra, quæ-
admodum Christus Seruator est mitissimus, Domi-
nus & Deus potentissimus, vt sic & talem agnosca-
mus ipsum, ac iccirco ei tanquam Domino soli ser-
uiamus, tanquam Deo soli debitum cultum exhibea-
mus, caueamusq; ne quado diffidamus ipsi aut ipsi-
us mansuetudine abutamur.

Hortare.

IN IDEM CONCIO

SĒCVNDA.

IN huius Euangelij explicatione de resurrectione
Domini non nihil nobis dicendum merito esset,
propterea quod historia ipsa & de resurrectione a-
gat, & ipso resurrectionis die partim facta sit. Verum
quia Paschalis solennitas themati huic in primis
est consecrata, in eam hunc articulum & differemus
& referuabimus. Nunc autem aliud nobis thema ex
Euangelio presenti sumemus tractandum. Hoc ip-
sum erit de Ecclesia Dei: hoc est, quàm periculosum
& noxium sit, à Christi fidelium concione esse sepa-
ratum: quàm contra sit vtile & salutiferum, ei insepa-
rabiliter adiunctum esse. Nam vtrunq; tam luculen-
ter in Thoma videbimus, vt vix possimus luculenti-
us. Admonitos verò vos velim, vt animum adhibea-
tis attentissimū. Quicquid enim dicitur, nobis æque
dicitur omnibus, & ad omnes nos pertinebit.

Iesum videre rediuuū, hoc est, credere ipsum re-
surrexisse à mortuis ad humani generis iustificatio-
nem vitamque æternam, summa salus est adeoq; ip-
sa vita æterna. Sic enim inquit Paulus Rom. 10. Si cō-
fitearis ore tuo Dominum Iesum, & credas in corde
tuo quod Deus illum à mortuis excitauerit, saluus
eris. Contra verò non videre rediuuū Iesum, non

credere illum resurrexisse à mortuis, summum exitium adeoq; mors aeterna sit oportet. Dicit enim Dominus ipse: Qui non crediderit, condemnabitur. Marc. 16. Videt autem sola Ecclesia, hoc est, Dei populi concio, Dominum rediuiuū. Hoc nanq; in apostolis in vna eademq; domo congregatis satis apparet. Quia enim Ecclesia Dei erant, congregatiq; erant in confessione Iesu, hoc est, de ipso mutuo cōfabulabantur, venit quoque ad eos Iesus, suamq; resurrectionem illis testatus est. Immo & resurrectionis suae fructibus eos donauit, pace nimirū, gaudio, & spiritu sancto. At qui ab Ecclesia seiuncti sunt, non in credentium congregatione inueniuntur, ijs non datur videre Iesum, suntq; ob id pacis, gaudij & spiritus sancti expertes, sicque aeternae damnationi proximi: id nempe in Thoma videre est. Quia nanq; non erat cum discipulis pariter, non vidit Iesum venientem, nec proinde pacem & spiritum sanctum potuit habere. Immo magis ac magis in incredulitatis barathrum incidit, adeo, vt exerte dixerit, se nō crediturum, nisi visis antè clauorum vestigijs, & missis digitis suis in latus Domini. Ita scilicet Ecclesiae extorres non solum non impetrare possunt salutem, sed & indies magis impij fiunt. Sed quomodo cum his hominibus erit agendum? Num statim abijci debent propter suam exorbitationem ac incredulitatem? Minimè verò. Etsi absuisset Thomas ab apostolorum consortio, tamen ei renunciarunt, se vidisse Dominum. Atq; tametsi illis non crederet, tamen non ob id ab ipsis est profus reiectus & cōdemnatus. Immo tandiu illi laborarunt, vt tandem ipse sese eis adiūxerit ad octauum diem. Ad hunc nimirum modum & illi tractandi sunt, qui ab Ecclesiae communionē recesserunt. Docendi sunt, hortandi sunt, for-

mandi

mandi sunt, corripiendi sunt, cum omni lenitate & mansuetudine, donec ad Ecclesiam reuertantur deum. Quantumlibet sint vel obdurati, vel increduli, potens est Dominus eos illuminare: & illuminat ferè conuertitq; per auditum verbi.

Iam quemadmodum huiusmodi extorres extra Ecclesiã nõ possunt videre Iesum, hoc est, salutẽ consequi: ita adiuncti rursus Ecclesiã ipsum videt, hoc est, consequuntur salutẽ. Exemplo est Thomas: Vbi is quasi postliminio redijt in Apostolorum conuentũ, vidit Iesum euestigiò, pacemq; & spiritum sanctum accepit. Ibi cepit exclamare: Dominus meus & Deus meus, qui antè dixerat, Non credam. Docemur hinc igitur, extra Ecclesiam non esse salutem, in Ecclesia autem esse ianuam ad vitam æternam. Quare quicumq; sumus in Ecclesia, in ea maneamus cõstanter: quicumq; verò extra eam sunt, ab ea que recesserunt, redeant moneo, si suã salutem consultum velint.

IN IDEM CONCIO

TERTIA.

Evangeliũ hoc pars est historię de resurrectione vera Domini nostri Iesu Christi, prælegitur que nobis nunc ob D. Thomæ (cuius Ecclesia hodiẽ memoriam annuam agit) factam in eo peculiare mentionem. Quia verò ipsa Christi resurrectio aliud tempus, locumque in Ecclesia habet, nihil de eò in præsentia agemus: sed doctrinam, hortationemque aliquam generalem eliciemus inde, quæ nobis & iam & semper utilis, necessariaq; sit. Expendemus igitur paucis, & Thomæ peccatum, & Domini Iesu patientiam, & illius contrã confessionem & huius bonitatem summam. Vos interim auditores sedulo aduertite.

Peccatum quidem Thomæ eò reluxit, quòd credere noluerit. Nam vsq; adeò peccatū est incredulitas, vt hanc vel solum, vnicumq; peccatum vocet Dominus Iesus in Euangelio Ioan. 16. Non, quòd non alia præterea peccata sint: sed quòd illa omnia aliorum scelerum sit & fons & fomes. Si enim crederemus ex animo & iustos iuxta Dei verbum manere præmia, & flagitiosis æterna parata esse supplicia, aut nunquã certè aut rarò admodum peccaremus: at quia neutrum ferè seriò credimus, tam liberè & citra metum vllum in quæuis scelera proruius eheu, sumusque proin non tam incredulo Thomæ similes, quàm eo peiores.

Sed videamus patientiã Domini erga Thomam. Scriptum est: Qui non crediderit, condemnabitur. Erat ergo & ille propter incredulitatem suam condemnatione æterna dignus, nedum apostolici gradus deiectione. Attamen Dominus (vt non vult peccatoris mortem, sed vt conuertatur is ac viuat) non rigida sua iustitia vsus est, sed per totum octiduum incredulitatem illius patienter sustinuit, immò post octiduum in eius vnus gratiam rursus apparere dignatus est, ipsumq; sui & conspectu & contactu perduxit ad fidem.

Ita nimirum & nobiscum agit Seruator clementissimus. Poterat iam pridem omnes nos iure optimo in ima præcipitasse tartara: tot & tanta sunt scelera nostra, tam increduli, inobedientesq; sumus. Nichilò tamen minùs patienter nobiscum hætenus egit, non per octiduum modò, sed & per centenos aliquot annos: nolens videlicet vltos perire, sed omnes recipere ad pœnitentiam.

Immò sic quotidie sese nobis, tum per verbum suum, tum per internã præuenientẽ suam gratiã, conspici-

spiciendum, contrectandumq; offert, vt possimus (si velimus alioqui) redire ad cor, conuerti & viuere.

Cæterum audiamus nunc, ecquomodo Thomas conspectum, contactumq; exceperit. Clamauit nēpe illicō: *Dominus meus & Deus meus.* Quò diutius antē discrediderat, hoc clariorem, insignioremq; hīc edidit confessionem: confessus scilicet pariter & veram Iesu humanitatem, et indubitatam eiusdem diuinitatem. Sic verò & nos omnes agamus oportet. Posteaquam præuenienti sua gratia nobis illuxit Dominus, vt sentiamus iam peccatorum nostrorum & multitudinem et magnitudinem et grauitatem, nihil prius nobis esse debet, quàm vt eam gratiam amplectamur modis omnibus, hoc est, peccatorum agnitorum pœnititudine ducamur, ea confiteamur serio & amaro animo: quoq; illa fuere maiora, eò posthac pœnitentiam, innocentiorēq; agamus vitam. Ita videlicet, quemadmodū benignissimus Dominus Thomæ confessionem amplexus est, sic et nostram idem pœnitentiam amplectetur, nosq; à peccatis omnibus clementer absoluet. Nihil autem nobis oberit, quòd non videamus, audiamusq; ipsum in præsentia visibili: quin satis nobis sit, quòd verbū eius audiamus in Absolutione. Beati enim, non qui viderunt, sed qui non viderunt et credunt tamen.

FERIIS D. STEPHANI, IN EPIS-
TOLAM CONCIO PRIMA.

*Porro Stephanus plenus gratia ac fortitudine, edo-
bat prodigia ac signa magna, &c.
Actuum VI. & VII.*

HAc in Lectione describitur vera natura ac in- *Habita*
doles pietatis & impietatis, Christianismi & *anno 48.*

Mundi. Pietatis & Christianismi D. Stephanus gerit expressissimam imaginem: at Synagogista Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicianorum & Asianorum, adeoque scribarum, pharisæorum atque sacerdotum exemplar viuum Impietatis & Mundi referunt. Consideremus verò paulisper & illum & hos: illum quidem, ut ipsius & exemplum amplectamur ac imitemur: hos verò, ut ipsorum impietatem & detestemur & fugiamus.

Primum itaque, quod de Stephano Lucas scribit, est & fides & signorum prodigiorumque operatio, hoc est, & doctrina & vita: doctrina enim fidem suam declaravit, at signorum & prodigiorum operatione vitam suam est testatus. Fide quidem & doctrina coluit Deum, eiusque gloriam vindicavit ac illustravit: Signorum verò prodigiorumque operatione & vita seruiuit peculiariter ac commodavit proximis. Sed quæ fuit ipsius fides & doctrina? Deum nimirum neque coli neque delectari externis cæremoniis & operibus extra fidem: & Iesum Nazarenum esse verum Messiam, per quem unum omnes & iustificari & saluari oporteat, & extra quem nihil salutis sit expectandum. Huiusmodi enim fidem & doctrinam in longa illa sua responsione ad principem Sacerdotum & seniores habita satis superque explicavit. Quæ verò signa & prodigia ipsius fuere? Non quidem ea nominatim à Luca descripta sunt: attamen non dubium est, quin talia fuerint, qualia Dominus per credentes futura pollicitus est, Marc. 16. nempe eiectione demoniorum, nouarum linguarum loquutio, serpentum ablatio, ægrotorum curatio, &c. Hinc iam colligimus, & verè quidem, omnes verè pios ac Christianos huius esse indolis, ut & fide sint præditi & operibus, & doctrina & vita: Et fide quidem ac doctrina,

na, ab omnium cæremoniæ & operum fiduciam auocent, inque vnum Iesum Christum fiduciam omnem & ipsi collocent & collocandam esse doceant. Verum quæ impietatis contrâ & mundi est indoles? Hanc in Synagogis illis videmus. Hi quoniam vitam & opera Stephani reprehendere non poterant, calumniati sunt fidem & doctrinam ipsius. Ac primò quidem verbis & disputationibus ipsum aggressi sunt, sperantes se scripturis ac rationibus ipsius fidem doctrinamq; labefacturos. At quum hoc non succederet, (non enim poterant resistere sapientiæ & spiritui, quo ille loquebatur) falsis testibus ipsum impietatis & erroris conuincere sunt conati, hacque occasione statim seditionem in populo excitarunt, comprehensumque eum duxerunt in concilium, & statuerunt ibi testes illos mendaces. En, sic mundus & impij affecti esse solent: Quum in vita piorum nihil sit, quod possint culpâre, fidem ipsam & doctrinam inuadunt. Præsertim verò ferre nequeunt, quòd cæremonijs & operum meritis aliquid detrahatur, quodque vni Iesu Nazareno crucifixo omnis iustitia, meritum & salus transcribitur. Ob id nimirum tentant omnia, disputant, subornant falsos testes, commouent populum, in concilium ducunt. Ij igitur omnes sunt mundus & impij, qui & credunt & docent Deum externis cæremonijs coli, operibusq; & meritis esse fidendum, & non vnum Iesum Christum omnis iustitiæ ac salutis auctorem esse.

Audiuimus tragœdiæ prothasin, audiamus iam & epithasin. Stephanus constitutus in concilio, sic coram omnibus emicuit, ac si angelus esset. Viderunt enim omnes, qui sedebant in concilio, faciem eius tanquam faciem angeli, vt inquit Lucas: Mox verò accusatus, & longam & duram admodum orationem

habuit: in qua quidem primò multis & fortibus testimonijs probauit, non coli Deum externis cęemonijs, vnumque Iesum Christum esse Messiam ac iustum, hoc est, iustificatorem & saluatorem: deinde autem & publicè in omnes pharisęos, scribas, sacerdotes & seniores maxima vehementia inuectus est, vocans illos duros ceruice & corde ac auribus incircumcisos, persecutores & occisores prophetarum, proditores & interemptores iusti illius Iesu Christi, atque diuinę legis violatores. Hęc videmus primò, quàm potenter Dominus pios glorificet illustretque coram mundo & impijs, quàmque verax in promissis sit, præsertim vbi pollicetur, se daturum suis os & sapientiam, cui omnes aduersarij non possint resistere: immò Spiritum sanctum loquuturum per eos. Matth. 10. Luc. 21. Deinde verò videmus etiam, mundum & impios arguendos esse à pijs de peccato, iustitia & iudicio, posteaquam prorsus induruerunt, vt sint inexcusabiles. Hoc est quod Dominus apud prophetam præcipit: Clama (inquiens) ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata ipsorum. Esa. 58. Et Seruator noster Ioan. 16. inquit: Cùm venerit Spiritus sanctus, arguet mundum de peccato & de iustitia & de iudicio.

Sed quid impij illi Synagogistę ac sacerdotes ad hæc? Num sese aut defenderunt aut correxerunt? Minimè gentium. Videbant (vt diximus) faciem Stephani coruscantem vt faciem angeli, poterantque vel inde satis colligere, ipsum esse virum sanctum & Deo placentem. Audiebant ipsius orationem, eamque tam veram & constantem, vt nihil habuerint quod contradicerent: Attamen adeò non hinc sunt meliores redditi, vt peiores etiam & obduratiores euaserint.

Scinde-

Scindebantur enim (vt Lucas ait) cordibus suis, & fredebant dentibus aduersus ipsum. Hęc nimirum mundi & impiorũ natiua proprietas est, vt quò magis Dei magnificentia relucet & veritas sit manifestior, eò ipsi obduratioris & insanores fiant.

Restat catastrophe planè tragica. Stephanus sic in medio impiorum tanquam leonum rugientiũ stans, suspiciens in cœlũ, vidit gloriam Dei. & Iesum stantem à dextris Dei. Et dixit etiam: *Ecce video celos apertos, & filium hominis à dextris Dei stantem.* Iuxta humanæ carnis imbecillitatem, non potuisset vir hic Dei subsistere. Repleuit igitur illum Dominus Spiritu sancto, cuius dono constanter perseueraret. Dedit & conspiciendam ei suam gloriam, adeoquẽ & filium suum charissimum Iesum, quò videlicet declararet, & professionem illius esse veram, & manere eum gloriam æternam. Ita nempe confortat suos in summis angustijs cœlestis pater, immò adest vnà cum ipsis in tribulatione. Corroborat eos, & intus Spiritu sancto, & extrã visionibus consolatorijs. Verùm quid Sacerdotes, Scribæ & Pharisei interim? Clamabant voce magna, continueruntquẽ aures suas, ne ipsius dicta de Iesu Nazareno amplius audirent. Quin & impetu factò, extra ciuitatem eum eiecerunt ac lapidarunt tandem. Sic impietas furere non desinit, donec è medio tulerit iustos. Sed ò & exemplum omnibus imitandum, & consolationem consolantissimam. In ipso lapidationis actu spiritum suum Stephanus Iesu commendauit, & orauit pro lapidantibus se: atque mox obdormiuit in Domino. Videmus hęc, cui nos tutò committere & in vita & in morte possimus: nimirum, vni Iesu. Videmus, quid nobis solùm & amicis, sed inimicis etiam debeamus orare: nempe, remissionem peccatorum. Docemur etiam

etiam denique, nos sic in Domino obdormituros,
hoc est, & quieturos in pace, & victuros æternum.

Amplifica, repete & hortare.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

Anno 50.

Hodie (vt scitis) solennem memoriam agimus
sancti prothomartyris Stephani. Audiuimus
igitur iam commodum, qualis huius eiusdem san-
ctissimi viri fuerit & fides & cōfessio, & vita & mors:
quo moneamur videlicet, vt talis & nostra sit fides,
confessio, vita, atq; finis. Expendamus itaq; paucis,
quidnam de hisce quatuor Lucas testetur. Principiò
quidem, quod fidem beati Stephani attinet: scribit
Lucas, quod plenus fuerit fide ac fortitudine, hoc
est, quod habuerit fidem veram ac fortem, quod ex
toto corde & omnia credenda crediderit. Hic admo-
neamur iam nos, vt & ipsi pleni ac fortes fide simus,
non dubitemus de credendis, non oscitanter creda-
mus, non solo ore & lingua fidem geramus. Corde
enim (vt Paulus inquit) creditur ad iustitiam: & vult
agnosci, colique Deus in spiritu ac veritate, Ro-
man. 10. Ioan. 4.

Secundò autem, quod ad confessionem Stephani
spectat, è qua videlicet fides cordis eius reluxit: con-
fessus est (vt ex longa illa oratione eius in concilio
sacerdotum habita colligere licet) Iesum Nazare-
num esse verum Messiam patribus antiquis promif-
sum, nec esse in re vlla salutem nisi in hoc vno: Deū
item non coli externo templo Hierosolymitano &
cæremonijs, sacrificijsque Mosaicis, sed fide, spiritu,
ac vera vitæ innocentia. Hic igitur admoneri nos
debemus primò, vt & ipsi fidem, quam tenemus cor-
de, confiteamur ore coram omnibus: eò quòd ore
confessio

confessio fiat ad salutem, teste Paulo. Vt præcipuus sit confessionis nostræ scopus, Iesum esse verè Messiam & vnicum orbis seruatore[m], summumq[ue] & verè placitum Dei cultum consistere in fide ac innocenti vita, non in externis cæremonijs. Sed hoc potestremum ita intelligi debet, non quòd cæremonijs pijs haud sit nobis vtendum, sed ne in his fiduciam colloce[m]us. Nam nec Stephanus templum ac cæremonias Mosaicas per se damnauit, sed damnauit in Iudæis fiduciã in templum & cæremonias. Ceterum tertio, quantum ipsam vitam sancti Stephani concernit, constitit hæc in duobus, in actione scilicet & passione. Iuxta actione[m] quidem, edidit ille signa ac prodigia magna in populo, fuitq[ue] insuper religiosus & sapiens: iuxta verò passionem, odio habitus est, mendacio traductus, apprehensus, adductus in conciliũ, eiectus extra ciuitatem, & lapidatus tandem. Talem nimirum vitam (si quidem piè viuere in Christo velimus) oportet & nos agere. In mente simus necesse est religiosi, hoc est, Dei timentes & morigeri omnibus eius præceptis: In verbis autem sapientes, hoc est, circumspecti, modesti, graues, benigni, vtq[ue] verba nostra gratiam præstent audientibus. In operibus verò factores signorum ac prodigiorum, hoc est, tales, vt omnibus simus pietatis exemplum, vt luceant opera nostra corã hominibus, vtq[ue] omnibus beneficiamus donis à Deo concessis. Nam sic & ipsi verè signa, prodigiaq[ue] ediderimus in populo. Si iã verò sic agamus, non deerunt afflictiones: odit enim pietatem Sathan canè peius & angue, ideoq[ue] pios & intus tentationibus varijs, & externè malis hominibus adortur: quemadmodum nimirum hîc cõtra Stephanum Synagogistas, populum, seniores, adeoq[ue] vniuersum cætum sacerdotum Iudæorum excitauit. In primis verò

verò non potest ferre Sathan & huius cliens mundus, vt omnis salus vni Iesu crucifixo tribuatur, fiduciaque meritorum eleuetur. Ob id adeò furijt in Stephanum & p̄ios omnes: ob id igitur & in nos grafari non desinet. Sed hic consolari nos debet Stephani exemplum. Hunc Dominus confortauit spiritu & sapientia, huius vultum fecit splendescere veluti angeli faciem, huic denique & se ipsum & coelestem suam gloriam luculenter in summo periculo exhibuit. Hic idem ergo & nobiscum erit in tribulatione, glorificabitque nos ac longitudine dierum replebit: adeò, vt neque mors, neque vita, neque fames, neque gladius, neque vlla denique creatura nos separare possit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Roman. 8. Psalm. 90.

Porro postremò, quod mortem D. Stephani attinet: audiuius ex Luca, quòd ille in ipsa morte commendauerit Domino Iesu spiritum suum, & orauerit pro inimicis, sicque in Domino obdormierit. Hoc exemplum & nos monere debet, vt (instante mortè præsertim, quanquam & aliàs semper) in spiritu humilitatis ac corde contrito commendemus Domino Iesu & nos, & animam nostram & omnia nostra, atque omnibus in nos delinquentibus ex animo ignoscamus, quin & à Domino ipso remissionem illis petamus, vti contrà & ijs, quos nos læsimus recòciliari studebim⁹. Si sic fecerimus per omnia sedulò, obdormiemus & nos feliciter, quiescemus in sinu Abrahæ, ac tandem semper cum Domino erimus.

IN EANDEM CONCIO

TERTIA.

Anno 54-

IN hac Lectione audiuius iam & compendiose & luculenter, cuiusmodi vir fuerit D. Stephanus, cuius

eius hodie anniuersariam in Ecclesia agimus commemorationem, quid fecerit, quid dixerit, quid passus sit, quem denique vitæ suæ sortitus sit finem. Vt verò omnia quæcunque scripta sunt, ad nostram scripta sunt doctrinam, consolationemque: ita & quæcunque de Stephano hîc à Luca scripta sunt, in nostri potissimum gratiam sunt scripta. Quare ne pigeat nos (obsecro) singula paulò penitiùs introspicere ac expendere.

Primò igitur omnium accepimus, plenum fuisse D. Stephanum fide ac fortitudine. Fides nimirum ianuam ac fundamentum est sanctitatis, salutisque omnis: at non qualiscunq; fides, sed plena & fortis, hoc est, quæ & omnia & perfectè & ex animo credit, quæ item in finè vsque immobilis perstat. Si ergo & nos ad veram sanctitatem, salutemque pertingere cum Stephano & alijs sanctis cupimus, pleni itidem fide, fortitudineque simus oportet: ideoq; & verbum Dei sedulò nobis audiendum erit, & fidei augmentum petendum à Domino. Luc. 11. & 17. Roman. 10.

Secundò autem audiuius, edidisse D. Stephanum prodigia & signa magna in populo. Facultas edendorum signorum seu miraculorum data est à Christo primis Christianismi exstructoribus; vt ijs doctrina Euangelica & fides in Christum apud incredulos confirmarentur: at posteaquam satis eæ confirmatæ essent, desierunt illa, neq; necessaria amplius sunt. Verùm in horum locù spiritualia à nobis signa, prodigiaq; fieri oportet, quibus cordis nostri fidem testemur: quæ nempe erunt, vita innocens, sancti mores, opera verè bona, charitatis et misericordiae exercitia. Non minus enim hinc, quàm ex miraculis, glorificabitur Deus & conuertentur impij. Matth. 5. 1. Pet. 3.

Tertiò

Tertiò verò audiuius, Synagogistas aliquot exsurrexisse & disputasse cum Stephano, nec potuisse tamen vincere illum. Disputatio hæc ex inuidia orta est, quemadmodum semper virtus seu egregia actio inuidiam habet comitem. Vt autem ea ex inuidia ortum habuit, ita in D. Stephani tetendit perniciem. Nam id vnum venabantur illi, vt confessio- nem eius disputando elicerent, electaque hac ipsum & confunderent & accusarent. Idem verò & nobis hoc in mundo expectandum, si non (vt olim) à tyrannis, certè ab hæreticis & hypocriticis. Verùm quemadmodum Stephanus non veritus est confessionem suam podere: ita & nos parati esse semper debemus ad respondendum cuilibet petenti, vt loquamur de ea, quæ in nobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia, 1. Pet. 3. idem enim spiritus qui in illo loquebatur, loquetur & in nobis: atque vt ille vinci non poterat, ita nec vinci nos sinet Deus.

Cæterùm accepimus quartò, subornasse Synagogistas falsos testes aduersus Stephanum, ea que occasione commouisse plebem & seniores ac scribas, apprehendisseque illum & abduxisse in concilium, statuisseque ibi falsos illos testes: verùm Stephani faciem apparuisse omnibus in concilio sedentibus, tanquam faciem angeli. Hic videmus primò, quis improborum mos sit: quòd nimirum ij, vbi veritati discedunt impares & ratione nihil possunt, ad mendacia & violentam rabiem confugiant: & vbi victi fuerint sapientia spiritus, ad Diabolicas fraudes sese conuertant.

Deinde autem videmus, quàm insignis thesaurus sit mens sibi benè conscia, quàm nullis hæc calumnijs aut mēdacijs commoueatur aut turbetur: vt nihil contrà cruciabilius, pauidiusq; est animo malè
sibi

fibi conscio. Arqui hinc monemur nos, vt & ipsi ita credamus, loquamurque ac agamus, quò si fortè calumnijs improborum impetamur, appareat facies nostra faciei Angelicæ instar, hoc est, in ipso etiam vultu reluceat mentis nostræ innocentia.

Porrò quinto loco accepimus, quàm intrepidè, constanterque D. Stephanus confessionem suam contra aduersariorum calumnias & mendacia scripturarum testimonijs defenderit, quamque liberè obstinatis Iudæis obiecerit impietatem, homicidumque ipsorum. Quia verò bona pars apologiæ eius in hodierna Lectione ob nimiam prolixitatem omis-
sa est, summam paucis dabimus.

Dixerant falsi testes, illum verba blasphemie aduersus Deum, Mosè & legem effutisse, adeoque & aduersus templum. Respondit igitur ille ad primum, se non blasphemum esse in Deum, vt cuius gloriam vnice prouehere satagat: neq; in Mosè aut legem, quem Mosès & lex prædicarunt, nempe Iesum Nazarenum, amplexus sit & confiteatur: neque denique in templum, quum templum illud honoret, cuius templum Iudaicum erat typus, nempe templum spirituale, hoc est, Ecclesiam in Iesum Nazarenum credentium. Vt autè sic sese purgauit, omnem blasphemiam sibi impactam in ipsos reiecit aduersarios: dicens, probansque, tum patres eorum, tum ipsos quoque semper restitisse veritati, occidisseque iusti illius, Iesu inquam, confessores, non apostolos tantum, sed & prophetas: ideoque, ob illorum incredulitatem, & ciuitatem Hierosolimam & ipsum templum & totam adeò Iudæam demolitum iri. Hinc iam moneamur nos rursus, vt talem semper causam foueamus, quam solidè possimus defendere, quæque & veritati & iustitiæ innitatur.

Vt veniamus verò iam ad sextum, audiuius, quemadmodum Iudæi striderint in Stephanum dentibus præ furore nimio, clamoribus magnis confessionem eius interceperint, impetum in illum fecerint vnanimiter, eiecerint denique eum à ciuitate & lapidauerint. Hic iterum improborum morem videmus: quòd scilicet ij, quum ratione & solidis argumentis professores veritatis ac innocentes conuincere nequeant, à ratione ad irrationalitatem, à verbis ad verbera & tyrannidem progrediantur. Qui quidem mos tam longè à nobis abesse debet, vt ne vel semel in mentem vnquam veniat.

Sed expendamus tandem, ecquomodo Stephanus interim animatus sub cruce fuerit. Primò, quum Dominus Iesus (qui confessores, fidelesq; suos non deserit) diffidisset cœlos, seque conspiciendum in gloria diuina exhibuisset Stephano, non tacuit ille, sed quod viderat, confessus est coram omnibus statim, vt vel aliquos adhuc Christo lucrifaceret. Deinde, quum immineret iam mors, Domino Iesu commendauit spiritum suum, quem hætenus strenuè confessus fuerat. Mox, præceptorem suum imitatus, remissionem à Domino lapidatoribus suis orauit, sicque patientiam suam testatus est. Tandem verò obdormiuit in Domino. Hic consolationem maximam habemus, quæ animum nobis addere debet, tum sub cruce quacunque, tum sub morte præsertim: quòd nimirum, si pietati studeamus, sicque omnem spem nostram in Domino habeamus repositam, & nobis ipse adfuturus sit, suiq; nos conspectu spirituali roboraturus. Habemus verò & optimum hinc moriendi modum, quem imitemur: vt videlicet & ipsi in Domini Iesu manus, spiritum, adeoque corpus & animam commendemus: vtq; omnibus, qui nos læserunt vnquam,

quam, & remittamus ipsi ex animo, & à Domino etiã
 veniam oremus. Habemus deniq; hîc cõsolationem
 quoq; insignẽ in ipsa mortis hora: quòd nempe non
 morituri, sed obdormituri simus in Domino, hoc
 est, post placidam quietem ad immortalitatẽ reui-
 cturi & semper cum Domino futuri. Hæc iam omnia
 & alta nobis omnibus mente reposita sint, indeq; &
 doctrinam & patientiam & cõsolationẽ petamus.

FERIIS D. STEPHANI,
 IN EVANGELIVM CON-
 CIO PRIMA.

*Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapien-
 tes, &c. Matth. XXIII.*

Evangeliũ hoc simul & terribile est & consolatorium, & durum & iocundũ. Persequutoribus fidei, mundo & impijs, admodum terribile & durum est: Credentibus verò cõtrã, afflictiones patientibus, est consolatorium & iucundum. Clementissimus Seruator in mundum mittit Prophetas, Sapientes, & Scribas: non sua ipsius caussa, aut in priuarum suarũ commodũ: nemine enim indiget, potest carere omnibus: sed propter ipsum mundum, in huius cõmodum & salutem. Nam neminem vult perire, nullius vult mortẽ, omnes venire vult ad sui cognitionem & saluos fieri. 2. Petr. 3. Ezech. 18. 1. Timoth. 2. Mittit inquam Prophetas, hoc est, tales, qui ex nuda inspiratione diuini spiritus docent ac prædicant, absq; librorum adminiculo, citra hominum institutionem: quales fuerunt Patriarchæ & Prophetæ veteris testamenti, quales & Apostoli præcipuè ac Prophetæ aliquot noui testamenti fuerunt. Hi enim literarum fuere prorsus expertes, per solum Spiritum sanctum eruditi. Mittit item Sapientes, hoc est, qui nõ nudè

*Habita an
 no 48.*

Deo erudiuntur, sed ex libris sacrae scripturae (non tamen citra singulare Spiritus sancti auxilium) proficiunt: & quae didicerint, exponunt viua voce alijs, Quales fuere olim sancti patres & episcopi, quales & hodie omnes concionatores germani sunt, ac pastores & sacerdotes esse debent. Mittit adhuc scribas, hoc est, qui scriptis & libris docent, quos non possunt ore: quales scilicet fuerunt Euangelistae, & ex Apostolis aliquot, tum etiam Apostolici & posteriores patres: quales & hodie non pauci sunt. Hos omnes & misit Dominus, & hodierna die mittit ad mundum, vt ipsorum verbis & scriptis ad agnitionem veritatis veniat, hoc est, suam ipsius caecitatem & impietatem tum agnoscat tum detestetur, ipsum iustitiam suam & Seruatorem agnoscat, eoque ipso vno nitatur, carnaliaque & delideria & facta porro fugiat, atque ad ipsius optimam voluntatem vitam suam omnem componat.

Verum o ingratitude plusquam beluiam. Tanto beneficio affectus a Domino mundus impius, non solum missos ad se Prophetas, Sapientes & Scribas non audit, sed & praeterea insectatur, occidit, cruciungit, flagellat, decollat, cremat, demergit eos. Tamen autem Dominus de Hierosolymitanis haec praecipue in Euangelio hodierno dicat, subintelligit tamen in vniuersum omnes persecutores. Nam & Gentiles seruos Christi persecuti sunt, vt & hodie etiam nunc persecuntur: immo in Christianismo quoque sunt huiusmodi persecutores, vt pro dolor manifestum est. Si causam persecutionis quaerimus, est ea in promptu. Aegre ferunt, quod Prophetas, sapientes & scribas illi, omnem iustitiam & salutem vni Iesu Nazareno crucifixo tribuunt, ipsosque omnis impietatis arguunt. Hanc scilicet iniuriam, immo blasphemiam

blasphemiam nolunt ferre: idcirco se vlciscuntur, & necem illis intentant. Atque quod mirandum magis est, arbitrantur se hoc pacto obsequium Deo præstare. Sed quid sequetur? Omnis sanguis iustus effusus in terra, ab Abel ad nouissimum vsq; iustum, veniet super eos. Quid verò hoc sibi vult? Hoc est, nò solum punientur propter illorum necem, quos ipsi occiderunt, verùm etiam propter eos, quos omnes alij impij interemerunt. An non verò durum est, etiam aliorum peccata & supplicia portare? Durissimum sanè: verùm id æquum Domini iudicium est, vt quorum communicarunt facinoribus, eorundem & pœnis communicent: quemadmodum è diuerso & pij communicabunt omnium piorum benefactis & præmijs. Quod Iudæis hîc Dominus comminatus est, id omne iam pridem experti sunt. Quia enim noluerunt congregari sub alis gallinæ, hoc est, Christi, deuorati sunt miserè à miluo, hoc est, Sathana & inferno. Perierunt & alij omnes persecutores miserè ac infelicitè. Peribunt etiam, quotquot adhuc sunt superstites, ni respuerint maturè. Quando verò sic Dominus de persecutoribus pœnasumat, magnam sanè consolationem & iucunditatem capiunt pij afflicti. Vident enim inde, se curæ esse Deo, certioresq; redduntur, vt i impij condemnantur, sic se æternùm saluandos.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

In hoc Euangelio describitur, proponitur que primò ingens & ineffabile Dei beneficium erga gentem Iudaicam: secundò malitia & ingratitude Iudeorum nefanda: tertio grauissimum supplicium de ipsis propterea sumendum. Proponitur autem

Anno 507

materia hæc nobis eum in finē, vt nos aliorum periculo cautiùs, meliusque agere discamus: & proponitur quidem in his præsertim D. Stephani ferijs, quòd is taliter à Iudæis exceptus sit, qualiter Dominus suos legatos ab illis excipiendos fore hic prædixit. Sed consideremus ordine præacta illa tria, quæ Euangelium præsens habet. Quod igitur primum attinet, ingens nimirum beneficium erga Iudæos à Domino exhibitum: dicit is, mittere se ad illos Prophetas & Sapientes & Scribas. Per hos missos intelligit Apostolos & viros apostolicos. Varijs autem vocabulis eos designat, vt diuersitatem gratiarum ac donorum in doctoribus denotet. Prophetas vocat, quòd spiritu diuino & docendi munere sint ac esse debeant instructi, viri graues & diuini. Sapientes vocat, quòd sint & esse debeant rerum periti, varia rerum experientia prudentes, & ad res feliciter gerendas appositi. Scribas denique vocat, quòd sint ac esse debeant in scripturis exercitati, & diuinę legis consultissimi. Vide, tales legatos ad Iudæos misit Dominus, etiam post resurrectionem suam: & misit quidem hos ob nihil aliud, nisi vt congregaret illos sicut gallina pullos suos sub alas cõgregare solet: hoc est, vt eos à miluo infernali Sathana eriperet, atq; in regnũ suum cœlestis æternũ tutos collocaret. Verũ audiamus nunc, quàm malè responderint illi beneficio huic Domini ingentissimo. Dicit Dominus, eos quosdam legatorum occisuros, quosdam crucifixuros, nõnullos flagellaturos, alios persecuturos de ciuitate in ciuitatem. Hoc autem sic per omnia esse factum, vel Actorum liber satis superque testatur, & in Stephano etiam abundè sat videre est. Iam nefandissima fuit malitia & ingratitude, quòd ita Iudæi in eos desuerunt, qui ob nihil aliud quàm ob salutem illorum

lorū venerant, nihilq; aliud inter illos venabantur. Non enim cuiusquam exegerunt aurum aut argentum, sed solam omnium sitierunt salutem. Sed dixerit quispiam hīc: Fortè illos fatum ad hanc malitiā & ingratitude ad egit. Nam sic Dominus & ad Esaiam inquit: Excaca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanē eum. *Esa. 6. Matth. 13.* Ad hoc verò responder Dominus: *Noluisse.* Hoc est, Deus seruare illos voluit & hanc voluntatem sapissimè attestatus est, immò omnem etiam mouit lapidem vt seruaret. At isti seruari noluerunt. Potuissent inquam seruari, si modo voluissent, hoc est, nisi repulissent Dei misericordiam & sanum consilium. Verum noluerunt colligi & seruari in amicitia aq̄ fœdere Dei, dispergi autem & perdi maluerunt: unde propria culpa, malitiāq; ac rebellione, nulla Dei morositate perierunt.

Execrandi igitur sunt, qui fatum & necessitatem quandam rigidissimam peccandi, pereundiq; prædicant. Interim tamē nec illos probamus, qui Pelagianorum more nimium viribus humanis contra Dei gratiam tribuunt. Verè quidem dixit Apostolus: Nō est volentis neq; currentis, sed miserentis Dei. Nam & Dominus in Euangelio dixit: Sine me nihil potestis facere. At mox in iisdē Domini verbis sequitur: Qui in me manserit, multum is feret fructus. Possumus igitur aliquid per eū, sine quo nihil possumus: & eū recta volumus, per Dei gratiam volumus.

Prōinde non denegasset Iudæis suam gratiam Dominus, si voluissent, nisi spreuissent ea media, per quæ peruenitur ad salutem. Nunc verò, quia noluerunt, & magis dilexerūt tenebras quàm lucem, ode-

sunt quoque & persecuti sunt lucis ac salutis prædicatores.

Cæterum quodnam horum esse debuit supplicium? Dicit Dominus, omnem effusum sanguinem iustum super illos venturum, & relinquendam ipsis domum suam desertam. Hic verò miretur quispiam, quomodo Iudæi pœnam eius sanguinis luere debuerint, quem nõ effuderant. Nam certum est hos, quos nunc alloquebatur Dominus, neque Abelis neque Zachariæ effudisse sanguinem. Sciendum est itaque, quòd quemadmodum vnicum est omnium sanctorum consortium, & vnum corpus Ecclesiæ sub vno capite Christo: ita vnam quoque esse omnium impiorum & parricidarum societatem sub vno capite Diabolo. Propterea nimirum, vt inter pios omnia (virtutes, dona, & præmia) communia sunt, sic & inter impios omnia tam peccata quàm supplicia sunt cõmunia. Est verò horrendissimum auditu, dare pœnas de eo etiam, quod nunquam ipse commiseris. Nemo ergo dicat: parum peccaui, parum etiam pœnæ daturus sum. Nam si communicauerimus peccatorum peccatis, communicabimus quoque illorum supplicij.

Porro quòd Dominus Iudæis domus etiam suæ desolationem minatur, id in hanc dicit sententiam: Quasi dicat: Nihil omisi eorum quæ ad vestram salutem & incolumitatem pertinere videbãtur: cæterum quum videam vobis rem ingratisimam fieri, atque vos omninò à veritate & huius prædicatoribus abhorre, agè non ero posthac molestus vobis, discedamq; tandem. Venient ad vos missi alij legati, Romanorum nempe phalanges, qui vobis gladijs, lanceisq; ac iaculis prædicabunt, vestrumq; & locum & populum subuertent. Tum cupietis me venire vobis liberatorem, libenterq; occineritis mihi: Benedicite qui

Etus qui venit in nomine Domini: verum nullus vobis veniet liberator, peribitis in peccatis vestris, sumeturq; de vobis supplicium contempti Melsiæ.

Hæc iam altè animis nostris insideant, discamusq; aliorum periculo vitare nostrum. Misit, mittitq; & ad nos Dominus Iesus prophetas, sapientes, & scribas, cupitq; nos congregare. Dignè igitur excipiamus legatos huiusmodi, nosq; congregari finam: ne & super nos veniat omnis sanguis iustus, relinquamurq; à Domino: sed vt potius aduenturum læti excipiamus, cumq; illo in regnum cœleste ingrediamur.

FERIIS D. IOANNIS EVANGEL.

IN EPISTOLAM CONCIO

PRIMA.

Qui timet Deum, faciet bona, & qui continens est iustitiæ, apprehendet, &c. Eccles. XV.

Præconium in sine hominis timentis Deum & iusti Habitæ
anno 48.
 Lectioe hac continetur. Est autè hoc ipsum partim petatum ab effectibus, partim etiam a consequentibus præmijs. Cæterum causa eius primaria est, vt nos ad timorem Dei & iustitiæ studiam inuitet, excitet, ac hortetur. Vt igitur & expeditius & libentius ad Dei timorem iustitiæque pertrahamur omnes, agè, consideremus diligenter, qui nam effectus, quæ item præmia timentem Dei ac iustum consequantur. Verum priusquam veniamus ad effectus & præmia, operæ præmium fuerit diffinire, quid sit timens Dei & iustus. Definitionem itaq; vtriusq; indicabimus paucis.

Timens Dei is est, qui neque sibi ipsi neq; vlli creaturæ fidit, de nulla re præsumit, ne de bonis quidem operibus aut vita innocente, sed timet in his omni-

bus, ubiq; veretur peccatum: persuasum nimirum habens, si ferò secum Dominus ageret & secundum ipsius iustitiam, se millies & millies damnatù iri. Ideoque nullam ob rem sese extollit, nihil arroganter agit, immò demittit se infra omnes, neq; offendi potens ab alijs, neq; alios offendens. Iustus autè est is, qui in hac sui humiliatione, hoc timore, vnus Iesu Christi iustitia, misericordia, bonitate, operibus, meritis, nititur: persuasus nempe, per & propter hunc se coram Deo iri iustificatum & saluatum.

Hæc vera & germana est vtriusq;, hoc est, hominis & timorati & iusti descriptio. Nunc itaq; de ipsius effectibus, ac præmijs porro videamus.

De effectibus quidem sic Sapiens inquit: *Qui timet Deum, faciet bona: & qui sectatur iustitiam, illam apprehendet.* Diximus, timentem Dei sese humiliare & coram Deo & coram omnibus hominibus. Humilibus autè Deus dat gratiam, 1. Pet. 5. Quibus verò gratiam dat, ij haud dubiè in gratia eius sunt. Quando ergo timens Dei sit humilis, eoq; in gratia Dei, non potest fieri, quin grata Deo sint, quæcunque ille fecerit. Si autè grata, certè & bona. Non enim nisi bona, Deo grata sunt. Quicunque igitur bona & grata Deo facere volet, is ante omnia Deum timeat necesse est. Vbi nanque timuerit Deum, oportet bene factum esse, quicquid fecerit. Ita semel plenus bonis operibus euadit, qui timet Deum. Iam iustus sectatur iustitiam, hoc est, Christi iustitia nitens, & sitit & accipit gratiam ac misericordiam. Ergo & iustitiam apprehendet, hoc est, quicquid fecerit & dixerit, erit iustum ac beneplacitum Deo. Quemadmodum enim Dei misericordiam abundè in se sensit, sic & vicissim gratus esse Deo studet. Hinc verè dicit Ioannes in prima sua cap. 2. *Qui hanc spem habet, sanctificat se, quem-*
admo-

admodum & ipse Deus sanctus est. Et 3. Qui facit iustitiam, iustus est. Quisquis itaque volet agere iuste & viuere in iustitia, sectetur iustitiam, hoc est, credat in Christum.

Cæterum de fructibus timentis Dei & iusti ad hunc modum inquit Syrach: *Iustitia ipsa obuiabit illi ut ueneranda mater, & more mulieris à virginitate sua illum suscipiet. Cibabit eum pane vite & intellectus, & potabit eum aqua salutari sapientie. Et firmabitur in eo, neque patietur ipsum flecti. Seruabit eum, neque sinet confundi: quin exaltabit illum inter proximos suos. In media Ecclesia aperiet os eius, & amplebit eum spiritus sapientie & intellectus, & vestimentis gloria amictet eum, lætitiæ & gaudium thesaurizabit super eum, & æterno nomine illum hereditario donabit.* Præmia præsertim septem consequuntur timoratum & iustum: nêpe, amor & fauor Dei, intellectus & sapientia, robur & fortitudo, famæ integritas & honor, eloquentia & consilium, lætitia & gaudium, atque æternum nomen. Principio ipsa iustitia Iesus Christus sibi fidem non secus amplectitur, osculatur, amat, fouet, atque proba mater filium suum vnigenitum, immo atque recens nupta mulier maritum suum. Sed quid hoc? summam denotat securitatem, pacem, consolationem, & lætitiæ cordis. Secundò donat iustitia Iesus Christus fidem sibi intellectu & sapientia, ut indies proficiat ac spiritu augeatur, quotidie intellectu rerum diuinarum atque humanarum promoveat, ut quicquid aut audit aut aspicit aut legit aut occurrit, ædificet inde spiritum suum, hauriat inde sapientiam, omnia ei in pascua vertantur. Tertiò robore & fortitudine munit iustitia sibi fidem, ut non modò, quæ bona commemorauit, acciperit, sed queat simul illa tueri atque seruare, quantalibet tentationes ipsi eripere ea conentur. In summa,

vt om-

vt omnia vincere possit, Sathanam, peccatum, mortem, infernum, mundum, carnem. Quartò liberabit Iustitia fidentem sibi ab ignominia, seruabit in integritate famæ, immò nobiliorem reddet apud proximos, honore & gloria donabit, vt nimirum omnibus (etiam impijs) sit admirationi & venerationi. Quintò eloquentiam & consilium largitur Iustitia timentis se, vt certò de rebus quibuslibet loqui atq; erudire quoslibet possit, vt ipsi omnes auscultent, vt omnes ab ipso consilium petant. Sextò lætitiã & gaudium thesaurizat Iustitia super iustum, vt quemadmodũ hîc gaudium habet in conscientia, ita & totus tam corpore quàm anima gaudeat & lætetur in cælo æternũ. Septimò æternũ nomen facit illum hæreditare, vt quemadmodum hîc in vita gloriosus est, ita & post mortem memoria eius maneat. Quid iam quæso hisce præmijs, hisce fructibus exoptatius esse potest? Quis non cupiat amari & foueri à Deo? quis non desideret intellectum & sapientiam, robur & fortitudinem, famam & honorem, eloquentiam & consilium, lætitiã & gaudium, æternũq; nomen? Verũ hæc nulli verè & feliciter adesse possunt, nisi timenti Deum & Iusto. Ergo timeamus Deum & sectemur iustitiã. Ita omnia pro voto contingent, ita & hîc & illic feliciter vtuemus.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

ANNO 71.

Insigne encomium timentis Dei & iusti in hodierna Lectione nobis proponitur: idque à fructibus, qui hominem talem sequuntur. Proponitur autem nobis eulogium huiusmodi hanc ob causam, primò quòd D. Ioannes verè timens Dei & iustus fuerit,
dein-

deinde ut & nos tatorum fructuum (hominem timoratum, iustumq; sequentium) intuitu ad Domini timorem ac iustitiam inflammemur. Consideremus igitur paucis, primò quisnam verè timens Dei & iustus sit, deinde quisnam fructus hunc sequantur. Is in sacris literis timens Dei dicitur, qui veretur offendere Deum, eoq; in omnibus suis bonis operibus timidus est, & sic cum timore, tremoreque salutem suam operatur: hoc est, qui quidem facit quicquid Deo scit esse gratum, sed tamen nunquam se satis fecisse veretur, semper suam imperfectionem accusans. Iustus verò in sacra scriptura dicitur ille, qui modis omnibus iustitiæ & sanctitati incumbit, tam coram Deo quam coram hominibus, verum non fidit iustitiæ suæ aut meritis, sed solum Iesum Christum & huius merita pro sua iustitia ac sanctitate agnoscit, habetq;.

Qui igitur sic Deum timet, is haud dubiè facies bona, hoc est, nihil committet quod Deo displiceat, nihil faciet nisi quod Deo gratum esse sciat. Qui etiam sic iustus est & iustitiæ cōtinens, is haud dubiè apprehendet iustitiam, hoc est, Christi meritis & iustitiæ donabitur, sicq; coram Deo iustus apparebit & in Dei iudicio poterit subsistere. Immo tam verè, certoque apprehendet iustitiam, ut & ipsa iustitia (nimirum Iesus Christus Dominus noster) ei vtrò occursum sit, & amplexura illum, quemadmodum mater honorifica vni genitum, charissimumque filium, ac sponsa primum suum sponsum (quem longè dilectissimum habet) amplectitur & osculatur. Sic enim clamat in Euangelio: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Sed audiamus nunc fructus, quos ex huiusmodi apprehensione iustitiæ timens Dei & iustus consequutus sit.

Cibabit illum (inquit Sapiens) pane vite & intellectus, & aqua sapientia salutaris potabit illum. Quia timens Dei & iustus, agnoscens se naturam & ex se se mortuum ac prorsus stultum esse, esurit, sicutq; ex animo Christi vitam & sapientiam, sic vtraq; implebitur, vt neq; in vita, neq; intellectu, neque in vera sapientia, ei vnquam quid defuturum sit, vt neque esuriturus neque sitiurus sit in æternum.

Sequitur: *Et firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur.* Quoniam timens Dei & iustus de proprijs viribus desperat, solumq; Dominum ponit firmamentum suum & vnicum robur, refugiumq;: iccirco sic Dominus firmabit & continebit illum, vt neq; flectendus, neq; confundendus sit ab vlla creatura, immo vt ne ipsæ inferorū portæ præualituræ aduersus illum sint. Matth. 16. Psal. 72.

Sequitur: *Et exaltabit illum apud proximos suos, & in medio Ecclesie aperiet os eius, & implebit illum spiritu sapientie & intellectus, & stola gloria induet illum.* Quemadmodum timoratus & iustus coram Deo in honore magno habetur, sic & Christus illum apud homines faciet honorabilem, idq; sapientia, intellectu, & eloquentia: adeo, vt ab eius consilijs & ore vniuersi dependant, vt ipsis etiam hostibus suis admirationi simul & stupori sit futurus, hoc nimirum heri, vel in Stephano satis audiuius.

Sequitur: *Iucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine aeterno hereditabit illum Dominus Deus noster.* Audiuius hætenus, quomodo timens Dei & iustus habiturus sit coram Deo, quomodo coram hominibus, tam inimicis quam amicis, atque adeo in præsentī vita. At hinc audimus, quid post hanc vitam idem expectaturus sit, nimirum sempiternam iucunditatem, exultationem nunquam finiendam, &

no.

nomen denique æternū, idque non solum apud Deū in cælo, verum etiam apud homines in terris. Vide, tot tantiq; fructus consequentur pium & iustum hominem. Atque hos eosdem in omnibus etiam pijs videmus, in Stephano, in Ioanne, & reliquis Theoseb-
bis. Hi iidem igitur & nos ad timorē Dei & iustitiam extimulent: vt nimirum iidem timeamus offendere Deum, salutem nostram cum timore & tremore operemur, iustitiæ et sanctitati per omnem vitam studeamus: at interim nunquam nos satis iustos esse aut satis timuisse Deum putemus, ideoq; in Christum sum-
gamus omnem spem & iustitiam nostram.

IN EANDEM CONCIO

TERTIA.

Hæc sapientis verba (in quibus nimirum timēs AUG. 53.
Dei & iustus in genere describitur, laudatur-
que) eam ob causam in præsentibus D. Ioannis apo-
stoli & Euangelistæ ferijs leguntur ab Ecclesia, quòd
omnia illa, quæ hîc de timente Dei & iusto comme-
morantur, eidem Ioanni optimè conueniant: ac in
primis quidem, quòd inter alia legatur, quemadmo-
dum iustitia in medio Ecclesiæ aperuerit os timen-
tis Dei ac iusti, impleueritque eum spiritu sapientiæ
& intellectus. Nam si cuius os hoc pacto in medio
Ecclesiæ vnquam apertum fuit, Ioannis certè os ve-
rè sic apertum est: & si vnquam impletus fuit spiritu
sapientiæ ac intellectus, Ioannes profectò imple-
tus est ad hunc modum. Id enim plus satis liber e-
ius Euangelicus, quem nobis reliquit, testatur: vt
in quo sic præ alijs de ineffabili diuinitate, genera-
tioneq; æterni verbi Dei disserat, vt ipsum cœlestis
sapientiæ, intellectusq; spiritu plenissimum fuisse fa-
teri cogamur. Iure igitur optimo legitur in hisce
oïus

eius ferijs præfens Lectio. Verùm vt nos pro nobis etiam ipsis solidi aliquid fructus, laudisq; hinc venemur, consideremus hinc paulò diligentius, ecquid sapiens de timente Dei ac iusto summatim dicat. Dicit nimirum de illo duo præcipua, quidnam scilicet is faciat seu operetur, & quid fructus seu præmij sequatur ipsum tum hic tum illic. Si facta operæ eius quærimus, merum bonum facit, apprehenditque in omnibus iustitiam. Nam quomodo nõ faceret bona, quum in omnibus operibus suis semper sit pavidus, nunquamq; se satis piè agere arbitretur? quomodo item non apprehenderet semper iustitiam, quum iniustitiam ex animo oderit, sciatq; ipsum Deum & iustum esse & iustitiæ amatorem vnicum?

Si verò & fructus ipsum sequentes nouisse gestiamus: en is primus fructus est, vt quemadmodum studet bono & iustitiæ, ita & donum, facultatemque benè ac iustè agendi ab ipsa iustitia (ipso nempe refuso Christo) consequatur. Obuiat enim ei Iustitia matris charissimæ instar, cenq; sponsum suum sponsa suscipit illum, & omnia sua bona in ipsum effundit, cibans videlicet ipsum pane vitæ seu verbo Dei, potansq; ipsum aqua sapientiæ & intellectus, hoc est, omnigena gratia, spiritu vberissimo.

Secundus aut fructus est, quòd firmat continetq; timentè Dei, & iustū iustitia, vt in pietate non possit vacillare, nõ ab ea deslectere, nõ in peccata labi: quantumlibet Sathan, caro, mundus, ad impietatem, peccataq; sollicitent. Tertius verò fructus est, quòd iustitia (Iesus Christus) illū exaltat apud proximos seu vicinos: donans scilicet eū eloquentia, sapientiãq; & intellectu huiusmodi, vt omnibus alijs possit salutaria dare consilia, vt alios possit erudire, vtq; proin ab omnibus & audiatur & suspiciatur.

Cæterum vltimus fructus est, quòd iustitia vestitura illum est stola gloriæ, iucunditatem & exultationem thesaurizatura super eum, & nomine æterno ipsum hæreditatura: hoc est, paratura illi post mortem, & æternam, gloriosamq; apud posteros in terris memoriam, & perhennia, ineffabiliaq; in cælis gaudia ac præmia. Vide, tantum omninò confert, timere Deum & sectari iustitiam. Tot ergo, tantisq; fructibus permoueri nos sinamus, vt & ipsi Deum timeamus, iustitiæq; demus operam. Amplif.

FERIIS D. IOANNIS EVANGEL.

IN EVANGELIVM CONCIO

PRIMA.

*Dixit Iesus Petro: Sequera me. Conuersus Petrus
videt illum discipulum, &c. Ioan. XXI.*

IN hoc Euangelio audiuius, quo pacto Dominus præceperit Petro, vt se sequeretur. Hoc autem Habitò
anno 456¹ mandatum non soli Petro iniunctum existimabitur. Nò enim ipsi soli dictum est, sed alijs etiam apostolis: immò hodie etiam nò oibus nobis, q; Christi nomen profitemur, dicitur. Si verò dicitur nobis, sciamus etiam oportet, quònam modo Christum debeamus sequi. Id iam ipsius auspicio breuiter ex verbo veritatis declarabimus.

Ante omnia autem, prius quàm Christum sequi possimus, ipsum probè cognitum habeamus necesse est. Nam quis alioqui sequi illum esset ausus, quem nunquam antè cognouisset? Sic verò à nobis cognoscei ipse debet, quemadmodum cognitus est à Petro. Is autem sic Matth. 16. inquit: Tu es Christus filius Dei viuentis. Et Acto. 4. Christus est lapis, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum homini-

bus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et Act. 10. Verbum misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum: hic est omnium Dominus, & ipse constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes prophetae testimonium perhibet, quod per nomen eius accipiant remissionem peccatorum omnes qui credunt in illum. Sic inquam & nos Christum cognoscere oportet. Persuadebimus igitur nobis certissimò, hunc Iesum Nazarenum crucifixum verum esse Christum seu Messiam, verum Dei filiù, adeoq; Deum ipsum, verum seruatorem, verum Dominum omnium, verum iudicem viuorum & mortuorum. Quicumq; iam talem ac tantù ipsum agnouit, huic hoc vnum porrò curandum est, vt & sequendi ipsum rationem discat quàm primùm. Qui verò eum nòdum sic agnouit, is (si quidem salus sibi cordi est) omnibus huc incumbat modis, vt eum prima quaq; die discat. Cæterùm sequendus ipse nobis est dupliciter: agendo nimirum & patièdo, vita & morte. Vita quidè seu agendo sic eum sequi nos oportet, vt quemadmodum ipse fuit humilis, mansuetus, benignus, misericors, compatiens, dilectionis studiosissimus, vitæq; inculpatissimæ, sic & nos itidem ipsius exemplo corde humiles, mansueti, benigni, misericordes, compatibles, fraternitatis amatores, pacifici, & innocentis vitæ simus. Morte autem seu patièdo sic eum sequemur, vt quemadmodum ipse afflictus, fuit patiens, modestus, longanimis, ac soli patri omnem vindictam tradidit, ita nos quoq; quoties tribulationibus, morbis, paupertate, exilio, odio, maleficijs, contumelijs, iniurijs, persecuotione, ac mortis etiã supplicio innocètes impetimur, simus tolerantes, mansueti, longanimis, ac omnia clementissimo patri cõmittamus. Qui hoc pacto Christù sequi-

quitur, is verè sequitur ipsum, & huic nihil deerit, nihil nocebit, nihil incommodabit. Immo is percipiet coronam vitæ in die illo, & habebit vitæ lumē, sedebitque in regeneratione iudicaturus duodecim tribus Israel, Matth. 19.

Repet. & hortat.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

PRæcipuum, quod Euangelion hoc habet, est, primo quales omnes nos naturâ simus, deinde quales meritò esse debeamus. Alterû discimus in Petro, alterum verò ex Domini verbis haurimus. Audiamus autem de utroq; ad nostri doctrinam. Nā propter nos utiq; ea commemorat Euangelista.

Commendauerat Dominus Petro oues suas pacendas, idque tanta omninò vehementia, vt meritò ille omnibus modis eam cõmissionem & solùm cogitare & sedulò vrgere debuerit. Nam ter ei oues commendauerat Dominus, & non nisi ter antè dilectionem professò. Adhæc & statim præcepit ei, vt se sequeretur, teste Euangelij initio: quo nimirum & cõmissionem illam ouium ei renouauit, & sortem futuram prædixit, nempe mortem. Verû ille cura præcepti tam serij posthabita, ac prorsus suæ vocationis & functionis obliuiscens, cœpit curare aliena, seque torquere, ecquid Ioannes (discipulus ille Domini dilectus) facere & exequi deberet. Sic præpostera omninò cura angebatur: quod debebat curare, negligebat: quod autem se tangebatur, curabat. Hanc verò præposteram curam nos quoq; ferè omnes in nobis & sentimus & vrgemus. Vt cunq; aliâ pia salutariaq; Petri exempla imitari grauemur, sumus professò hîc egregij imitatores eius. Aliena cur

ramus, nostra negligimus, respicimus semper ad aliorum munia, nostrorum interim obliuiscimur: aliorum vitam & actus cōtemplamur, at vitam nostram diffuere sinimus. Adeò planè verum est, quod dicit Aesopus: nimirum, vnumquēq; hominum gestare manticam, in cuius posteriori parte habeat sua vitia, in priori verò seu anteriori aliena: vnde fieri, vt in aliorum vitijs simus prorsus lincei, in nostris autem talpis cæciores. En, tales omnes nos naturâ sumus, hæc nostra indoles est.

Sed quales meritò esse debemus? Id ex Domini ad Petrum verbis videre est. Vbi Petrus ita munere suo neglecto curaret Ioannis vocationem, indignabundus Dominus ei respondit, Ad illum nihil pertinere, quid facturus esset Ioannes, curaret solummodo vocationem suam: *Si volo* (inquit) *ipsum manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere.* Hoc ipsum iam nos & nobis dictum esse arbitremur: ad nos nihil pertinet, quid aut faciant aut facere debeant alij: at hoc ad nos pertinet, vt nostra munia, nostram vocationem vrgeamus. Habent omnes suum Dominum iudicemque in cœlis, cui & stant & cadunt: huic committamus aliorum curam. Nostra vocatio, qualiscunque etiam sit, siue simus magistratus, siue pastores, siue mariti, siue coniuges, siue famuli, siue famulæ, tanta omninò est, vt si quatuor nobis essent capita & viginti manus, simus tamen ei impares. Igitur nostra curemus, nostras edes purgemus, non alienas. Ast quæstio hîc oboritur: Si videamus peccare aut errare alium, non eius habebimus curam? Maximè. Si in magistratu sumus, nostra vocatio requirit, vt in peccantes animaduertamus. Et si simus priuati, nostri muneris est, vt obseruemus peccantem: sed vt admoneamus ac reducamus, non autem vt iudicemus ac

condemnemus. Eatenus ergo curanda nobis sunt aliena, quatenus nostra vocatio isthuc requirit. In summa, curiosa illa aliorum inspectio & iudicatio nobis prohibetur. Urgeamus itaque posthac nostra, nostrae functioni respondeamus: quomodo verò alij suae respondeant, committamus illis, quorum interest.

IN IDEM CONCIO

TERTIA.

Quatuor potissimum exempla in hoc Evangelio nobis consideranda praefiguntur. Primum apprehenditur in D. Petro: secundum, in ipso Domino Iesu: tertium in fratribus seu discipulis: quartum verò, in Ioanne apostolo. Quaedam ex his serviant nobis ad cautionem, quaedam autem ad exhortationem, omnia verò ad doctrinam: quare diligenter singula advertite.

Principio quod D. Petri personam attinet, auditimus illum, ubi à Domino mandatum sequendi se accepisset, percontatum esse, quid Ioannes interim facturus esset. Hic cura planè praepostera laboravit Petrus: quod debebat curare solum, nempe vocationem suam, non curabat: quod autem non curare debebat, hoc unum cum primis curavit, nempe Ioannis vocationem. Verum hoc eodem morbo & nos ferè omnes laboramus: & id tantò profectò magis, quanto nos carnaliores, fragilioresq; Petro sumus. Petrus quidem utcumq; peccaverit respiciendo ad Ioannem, non tamen malo animo, nec ex invidia ad illum respexit. At nos contra malo animo & invidiae tactu respicimus ad proximos, nostrae interim vocationis, sortisq; prorsus obliti. Si alius quispiam vel leuiter lapsus sit, statim ad illum respicimus, illi iudicamus, & tantum non condemnamus ad inferos:

Anno 51.

in nostris verò lapsibus, etiam si vel grauissimi sint, ipsa talpa sumus ceciores, immò verò placemus nobis ipsis. Si nos aliqua calamitate opprimamur, vnde cunq; etiam illa acciderit, statim respicimus ad alios melius habentes, ipsisq; inuidemus successum fortunatiorem, dolentes quòd nec ipsi aduersis premanetur: aut etiã si maximè nò inuideamus alijs, murmuramus tamen aduersus Deum, stomochabundiq; miramur, ecquid nos præ alijs mali fecerimus. Vide, tantum mali operatur retrospectio illa: & etiam si neq; malo neq; inuido animo ea fiat, obest tamen vocationi nostræ obeunda. Hoc igitur primum exemplum carnalitatæ nostræ nos admonere debet, & præmunire interim, ne simile posthac designemus.

Iam verò quòd ad secundum exemplum spectat, quòd nimirum in ipso Domino Iesu nobis proponitur: audiuiimus, ipsum dixisse Petro, nihil illius referre quid de Ioanne statuisset, curaret tantum se sequi. Hic Dominus apertè præposteram illam Petri curiositatè reiecit: noluitq; omninò illum ad Ioannem aut alium quempiam respicere, sed suam duntaxat curare & vrgere vocationem. Q. D. audiuisti Petre, quæ ad te pertinent: cur aliena quæris? cur diuinæ iustitiæ secreta rimaris? tu me sequere. Id igitur & nobis singulis dictum putabimus. Vocauit etiam nos Dominus ad sui sequelam, quemq; in suo statu. Quemadmodum ergo hætenus cum Petro aliena curauimus, ita posthac vocationem nostram curemus, hoc est, sequamur Dominum, imitabilem & obsequentem in omnibus animus Christo præbeamus, iuxta huius præscriptum vrgemus vocationem nostram, ad huius deniq; dicta & facta componamus omnia dicta & facta nostra: in sequela enim Christi sunt fontes veræ pietatis.

Ceterum quod exemplum tertium, in fratribus nimirum seu Christi discipulis nobis propositum, concernit, audiimus, exiisse inter illos sermonem, quod Ioannes non moriturus esset. Hic rumor (seu error potius) inde ortus est, quod dixerat Dominus ad Petrum de Ioanne: Si eum manere volo donec veniam, quid ad te? Quod igitur conditionaliter pronuntiaverat Dominus, hi tanquam absolute dictum intelligebant: sic nempe, pro se accipientes. Tam facile est errare hominibus, etiam pijs: unde non mirum, si & hodie a nobis in multis erretur. Docemur autem hinc, ne nostrę fidamus sapientię nimium, ne perfuntorię tractemus scripturas, sed diligenter expendamus & conferamus easdem, idque adeo ab omnibus circumstantijs: alioqui enim facillime impegerimus, quemadmodum & hæreticos videmus hinc graviter impegisse.

Porro autem quartum seu ultimum exemplum quod attinet, quod scilicet in Ioanne nobis commendatur: audiimus, hunc obortam illam de se opinionem aboleuisse, adhuc discipulorum & teste vocare sese. Hic proximam & fidem & humilitatem in Ioanne videmus. Fidem quidem, quod noluit sibi tribui, quod a Domino non acceperat, nempe immortalitatem: humilitatem verò, quod se simpliciter discipulum & testem vocavit, non doctorem, qui tamen omnes in orbem doctores longo post se intervallo reliquit. Vtrumque igitur exemplum & nos sedulo imitari debemus: ne videlicet nobis tribuamus unquam, quod nostrum non est: ne item in his, quæ maximè nobis data sunt, quid de nobis ipsis magnifice sentiamus, sed in omnibus nosmet humiliemus. Ita enim verè exaltabimur, & ea etiam accipiemus, quæ nōdum accepimus, nimirum immortalitatem & cœlestia gaudia.

FER, INNOCENTVM, IN EPIS-
TOLAM CONCIO PRIMA.

*Et vidi, ecce agnus stans super montem Sion, &c.
Apocal, XIII.*

*Stabita
anno 45.*

IN Lectione hac de Ecclesia Christi peculiariter habemus. Sciendum autem est, eam esse duplicem: visibilem nimirum & inuisibilem, mixtam & puram. Visibilis seu mixta, est collectio omnium illorum qui profitentur Christi nomen ac Euangelium, & Sacramentis participant. In hac promiscuè sunt boni & mali, quemadmodum Dominus parabola de iacto in mari verriculo etiam docet. Videmus enim multos in Christi nomen baptizatos, qui quidem Euangelicam doctrinam profitentur, & ad Sacramentorum sumptionem accedunt: attamen vita diuersum de se testantur, vitam ad nihil minus, quàm Euangelium habent compositam. Hos tamen quandiu vnitatem seruant, & à crasis criminibus temperant sibi, iuxta ferre oportet vsque in illum diem, quo Christus angelos suos emittet ad auferenda omnia regni sui scandala. Matth. 13. Videmus item contra nonnullos (ac horum mira est paucitas) qui vt Christi nomen gerunt, sic huic etiam adhærent vera fide; vt doctrinam Euangelicam profitentur, ita iuxta hanc etiam vitam componunt: vt Sacramentis participant, sic horum quoq; effectus in se declarant. Cæterum inuisibilis seu pura Ecclesia, est ea collectio credentium, de qua iam iam diximus: nimirum, qui fidem Christianam & ore profitentur coram mundo, & corde constanti retinent coram Deo, Christiani sunt & nomine & re ipsa, Euangelicam doctrinam & auidè audiunt
& sedu-

& sedulo exercent, Sacramenta sumunt eorumque fructibus redduntur participes. Huiusmodi autem credentium concio seu ecclesia propterea inuisibilis dicitur, non quòd videri non possint qui in ea sunt, sed quòd nemo mortalium eos tales esse norit. Nam tametsi quatenus homines sunt videantur, tamen quatenus veri credentes sunt, non possunt videri, eò quòd vera fides lateat intus in corde. Pura verò horum ecclesia ob id dicitur, quòd nulla immunditia peccati malitiæ, nulla hypocrisis ibidem deprehendatur. Quicquid enim illi siue loquuntur, siue sentiunt, siue faciunt, id vera simplicitate & veritate nititur. De hac sola Ecclesia præsens lectio agit.

In hac nanq; veluti supra editum montem Sion stat agnus ille Dei, qui mundi tollit peccata, nempe Iesus Christus ipse vnicum caput. In hac omnes credentes verè nomen habent agni, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis, hoc est, ore suo patiam confitentur Iesum esse Seruatorem, & corde credunt ipsum resuscitatum esse à patre & surrexisse à mortuis. In hac verè cantatur canticum illud nouum Euangelij, Euangelium promulgatur ore, corde, vita. In hac qui sunt credentes, de terra empti sunt, hoc est, ab omnibus peccatis sunt liberati, idq; non corruptibilibus auro & argento, sed pretiosissimo sanguine immaculati agni Iesu Christi. In hac qui sunt credentes, non sunt coinquinati cum mulieribus, sed sunt virgines sequentes agnum quocunq; ierit, sunt empti ex hominibus primitiæ Deo & agno, sunt expertes mendacij, sunt sine macula ante thronum Dei, hoc est, veri credentes non seruiunt carnalibus concupiscentijs, non addicunt sese mundanis voluptatibus, non habent ventrem ac Mammon pro Deo, non Sathanæ militant: sed còtrà

castitati student, corpus suum castigāt, sobrietatem colunt, liberalitatem erga pauperes & afflictos exercent, cœlestes thesauros corradunt. In summa, soli Deo & agno toti, quanti quanti sunt, viuunt ac sese consecrarunt. Vide, talium credentium congregatio vera est & inuisibilis Ecclesia, sponsa Christi sancta & immaculata, vxor agni, non habens vllam maculam aut rugam, columna & firmamentum veritatis, habitaculum Dei, templum Spiritus sancti.

Si in hac Ecclesia non simus, si huius cœlestis ciuitatis non simus incolæ, non proderit nos vocari Christianos, profiteri Euangelium, accedere ad Sacramenta, immò actum erit de salute nostra, idem nobis obtinget quod fatuis virginibus.

Quare si cordi nobis est salus, huc omnibus modis enitamur, quò huius Ecclesiæ simus filij, huius corporis viua membra: vt nimirum castam virginem nos exhibeamus Christo, huic vota quæ vouimus in baptisinate, fideliter persoluamus, huic vni præ omnibus creatis cōstanti fide adhæreamus, huc summo studio ac corde toto amemus, colamus, veneremur.

Amplifica, repete & hortare.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

Capitulum 48. **H**Ac in lectione filij Christi & Ecclesiæ, hoc est, veri Christiani & catholici describuntur. Septem autem adducuntur notæ, quibus dinosci possint. Eas iâ ordine consideremus: primò, vt discamus discrimen gnesiorum & fucatorum Christianorum: eum deinde, vt & nosmet agnoscere discamus.

Prima quidem nota est, esse cum agno & habere nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Sed quid

quid hoc sibi vult? Est aliud nihil, quàm credere in Iesum Christum, & ore confiteri, quòd is sit agnus Dei eiusque filius charissimus, hoc est, homo & Deus, reconciliator & seruator omnium. Quicumque igitur verus Christianus & videri & esse vult, is studeat ante omnia esse cum agno, nomenque patris eius gesserit in fronte sua, hoc est, & corde credat & ore confiteatur, Iesum Christum esse verum ac vnicum filium Dei viuientis, reconciliationem pro peccatis nostris, nostram iustitiam, nostram salutem, nostram resurrectionem & vitam.

Secunda nota est, cantare canticum nouum ante sedem Dei & quatuor animalia ac seniores. Verùm quid hoc denotat? Nimirum, in fide & confessione Christi agere vitam nouam, hoc est, puram, iustam, & innocentem, tum coram Deo, tum coram omnibus hominibus pijs: ita, vt Deo ob id cantetur, hoc est, vt is glorificetur & sanctificetur. Quisquis ergo germanus Christianus & videri & esse cupit, is canteret huiusmodi canticum nouum, hoc est, induat nouum hominem, qui secundum Deum creatus sit in iustitia & sanctitate veritatis.

Tertia nota est, emptum esse de terra. At quid istuc portendit? Nempe, abnegare semetipsum, castigare corpus & in seruitutem redigere, mortificare carnalia desideria, crucifigere mundum sibi, renuciare Sathanæ, abdicare peccata. Omnis itaque qui & audire & esse volet Christianus gnesius, is emptus sit de terra, terrena ne sapiat, terrena ne querat.

Quarta nota est, non esse coinquatum cum mulieribus, esse virginem. Sed quid hinc intelligendum venit? Aliud nihil, quàm in nullas hæreses Iesum Christum soluètes labi, in huius confessione
constan-

constanter & progredi & perdurare vsque ad finem. Quicumque igitur professioni Christiane satisfacere volet, cogitet se desponsum esse Christo, studeat huic virginem exhibere castam, maneat in confessione & humanitatis & diuinitatis eius.

Quinta nota est, sequi agnum quocumque ierit. Quid verò hoc designat? Designat nempe, imitari Christum & in vita & in morte, esse humilem, misericordem, philanthropum, beneficium, patientem, longanimum. Quisquis ergo Christiano nomini respondere desiderat, is itidem Iesum Christum sequatur, cum hoc viuat, cum hoc patiat, cum hoc moriatur: ita & æternum cum ipso viuere, regnare, ac triumphare poterit.

Sexta nota est, emptum esse ex hominibus primitias Deo. Ast quid isthuc? Est, Deo & Christo totum esse consecratum, & corpore & animo: ad huius vniuersi nutum viuere, iuxta huius præscriptum totam vitam componere, hunc unum sanctificare & glorificare in omnibus verbis, factis ac cogitationibus. Quicumque ergo re vera Christianus esse volet, is cogitet se emptum esse ex hominibus, vt sit primitiæ Deo & agno, vt huic sese totum consecret.

Septima ac vltima nota est, non habere dolum in ore suo, & sine macula esse ante thronum Dei. Summa hæc est omnium: nam quicquid audiuius, eò potissimum tendit, quòd Christianos germanos & in fide & in vita doli omnis expertes ac immaculatos esse oporteat: immaculatos inquam, tum erga Deum, tum erga se ipsos, tum erga omnes homines. Erga Deum quidem, vt ipsi fideliter & fide cordis & oris confessione adhæreant. Erga se ipsos autem, vt & corpus & animam ab omni peccatorum inquinamento custodiant. Erga omnes verò homines, vt sic viuant

viuant & agant, ne offendant quenquam, edificent autem plurimos, Si igitur & nos veri Christiani tum videri tum esse volumus, his notis ante omnia firmus insigniti.

Amplifica, repete & hortare.

IN EANDEM CONCIO

TERTIA.

Lectio hæc (vt & aliàs sæpè diximus) non eo nomine in hisce Innocentium ferijs nobis præfigitur, quasi de illis agatur in ea propriè: sed ob id, quòd commemorentur hìc quædam quæ non ineptè in illos competant: dicit enim Ioannes, fuisse cum agno super monte Sion turbam admodum numerosam: sic nimirum & illorum maxima circa omne dubium multitudo fuit, propter agnum Christum occisorum. Dicit item Ioannes, eos qui fuerunt cum agno, primitias Deo & agno fuisse, virgines fuisse, neque dolum habuisse in ore suo: ita videlicet & Innocentes verè primitiæ seu primi martyres Christi fuerunt, fuerunt & virgines ac sine dolo, quippe infantes. Vide, ob hanc similitudinem seu vicinitatem legitur nunc dicta Lectio: Alioqui generalis descriptio est totius cætus credentium, seu totius spiritualis Ecclesiæ, vel omnium verè sanctorum, aut omnium gnesiorum & viuorum Christi membrorum. Hoc autem verum esse, ex mystico sensu audietis breuiter.

Principiò quidem agnus, Dominus noster Iesus Christus est: de quo sic Ioannes Baptista inquit, Ioan. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Dicitur autem agnus, quòd innocens seu purus sit, quòd sit item mansuetus, quòd adhæc lana meritorum suorum nos vestiatur, & cibo carnis suæ enutriatur,

Anno 54.

triat, quòd deniq; verum sit expiatorium sacrificiũ.
 Mons autem Sion, super quem stetit agnus illè
 Dei, Ecclesia Catholica est: dicta mons, quòd (teste
 Daniele) totam terram impleuerit, seu per vniuer-
 sum orbem terrarum diffusa & conspicua sit: dicta
 item Sion, quòd specula sit, in qua videatur Deus.
 Dicitur verò agnus Christus stare super Ecclesiam,
 quòd caput eius sit, quodque eam defendat contra
 omnes portas inferi. Matth. 16. Coloss. 2.

Ceterum per centum & 44000. qui stabant cum
 agno, vniuersam electorum multitudinem intelli-
 gere debemus, sumpto videlicet numero finito pro
 infinito. Hi habent nomen patris agni scriptum in
 frontibus suis, hoc est, spiritu sancto cõsignati sunt,
 confitenturque palàm & intrepidè Deum ac Iesum
 Christum: Deum nimirum esse verè patrè Iesu Chri-
 sti, & Christum verè esse agnum seu vnicam pro pec-
 catis oblationem. Hi cantant ad sedem Dei canti-
 cum nouum, hoc est, puram tranquillamque con-
 scientiam per fidem habent, Deumque iugiter laudi-
 bus ac gratiarum actionibus prosequuntur. Hi em-
 pti sunt de terra, hoc est, quum in peccatis concepti,
 natiq; essent, per Christum à perditione erepti &
 iustificati sunt. Hi cum mulieribus non sunt coin-
 quinati, sed virgines sunt, hoc est, non sequuntur
 carnis desideria, & opera, sed summa cura ab his ab-
 stinent. Hi sequuntur agnum quocunq; ierit, hoc
 est, conformes sese reddunt imagini filij Dei, sanctã
 que ac piã agunt vitam. Hi empti sunt ex homini-
 bus primitiã Deo & agno, hoc est, redemit eos Chri-
 stus ab omni iniquitate, purificauitq; sibi populum
 peculiarem. Horum in ore nullus inuentũ est men-
 daciũ, seu nullus dolus: hoc est, veraces sunt & sim-
 plices, nec vel in minimo proximum suum decipiũt.

immò ne cogitant quidem vlli malū. Hi deniq; sine macula sunt ante thronum Dei, hoc est, vt puritati per omnia student, sic & Deus pro sua misericordia illos pro puris reputat, etsi alioqui nemo in cōspectu eius iustificari possit, si ille iure suo velit agere. Vide, ex his notis deprehenduntur veri electi, vna Ecclesiæ membra: ex constanti inquam veræ fidei confessione, ex puritate conscientiæ, ex carnis mortificatione, ex sancta & pia vita, ex veritate & simplicitate erga proximum. Eisdem ergo & nos insigniti notis simus oportet, si de capite Christo & de Ecclesiæ gloriari verè velimus. Quia verò viuum Ecclesiæ nos membrum esse necesse est, si velimus seruari: nihil prius habeamus, quàm per omnem vitam studere illis: ideoq; Deum ipsum oremus sedulo, vt is in frontibus nostris insculpat nomen & suum & Christi sui, vt in conscientijs nostris instituat canticum verè nouum & sibi gratū, vt ab omnibus carnalibus concupiscentijs, factisque nos præseruet, vt per veram vitæ innocentiam conformet nos imagini filij sui, vtque sine dolo & immaculatos custodiat nos vsq; in finem, Amen.

FERIIS INNOCENTVM,
IN EVANGELIUM CON-
CIO PRIMA.

*Angelus Domini in somnis apparet Ioseph, dicens: Surge
& assume puerum ac matrem illius, &c. Matt. II.*

IN hoc Euangelio duo præsertim proponuntur nobis. Prius est, paterna Dei cura pro electis suis: alterum est, sæua mundi tyrannis contra electos Dei. De vtroque paululum agemus in præsentiarum: vos verò attentas præbetote nobis aures.

*Habita
no 45.*

Quod

Quod ad pius attinet, audimus hîc, quemadmodum Pater cœlestis post magorum liberationem, Angelum suum ad Iosephum etiam miserit, admonueritque illum, ut vnâ cum puero Iesu & matre in Aegyptum secederet: nam quæsiturum Herodem puerum ad excindendum eum. Vnde nimirum docemur, ipsum non otiosum esse rerum humanarum spectatorem, sed omnium rerum habere curam, præsertim verò pro electis suis esse sollicitum. Nam certè qualis fuit erga filium suum vnice dilectum Iesum, qualis erga Mariam matrem, erga Ioseph, erga magos fuit, talis & erga omnes electos tum fuit semper, tum hodie est, tum est futurus. Per filium enim suum ipsos quoque in filios sibi adoptauit: non ergo minus pro ipsis habebit curam, quam pro illo. Ne autem hîc quis dubitare possit, audiamus ipsum filium: Nolite (inquiens) timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus in gehennam præcipitare. Nõne duo passeruli asse vaneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus præstatis vos. Matth. 10. Confirmabitur hîc igitur meritò fides nostra, ac certificabimur, si quidem in Dei timore agamus, & in ipsum omnem nostram collocemus fiduciam, quòd ipse & pro nobis sollicitus tum sit tum esse velit, quodq; proinde nihil nobis possit vnquam obesse. Nam si ipse pro nobis, quis contra nos?

*In concio
ue habita
anno 51.*

Dicamus ergo cum Dauide: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Qui tribulant me, inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Si consistant

**Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANDOMIERSKIEGO**

stant aduersum me castra, non timebit cor meum;
si exurgat aduersus me praelium, in hoc ego sperabo. Psalm. 26.

Iam quod ad alterum attinet, audiuius in hoc Evangelio, quemadmodum Herodes nostro Iesu infidiatus sit, quumque id tentasset frustra, quam crudeliter pueros innocentes interemerit, putans se hoc pacto quem quærebat deprehensurum. Vnde nimirum inclarescit, mundum electos Dei odio peiore Vatiniano persequi, huc omnes suos conatus, omniaque studia intendere, quò eos è medio tollat, occidat, extinguat. Quid causæ autem huc moueat illum, ex Herode facillimè disci potest. Is ob id tantopere odio flagrabat in recens puerum Iesum, quòd timeret se ab hoc expellendum tandem. Audierat namque ipsum esse natum regem Iudæorū. Sic inquam & mundus ob eā solū causam tā immaniter in electos debacchatur, quòd arbitretur per hos suæ quippiam decessurum auctoritati, dignitati ac potentie: quodque hinc eos habeat suspectos, reputet seditiosos, perturbatores, seductores, maleficos, &c.

Verū enim uero, ut Christus non moliturus infidias erat regno Herodis, ut non huius labefactorus erat dignitatē: sic nec electi eius instituti sunt, quòd uelint respublicas perturbare, tumultus ciere, populum seducere, maleficijs studere, sed potius hoc unū conantur, ut respublica uerè floreat, æternūque duret, ut uera pax instituat, ut populus ueris legibus asuescat, ut uita omnibus modis sancta & innocens traducatur. Sed quia cæcus mūdus id non uidet, pergit magis ac magis desequire in illos. Et permittit Deus etiam aliquando, ut manus in eos extendat, quemadmodum hinc permittit Herodi debacchari in pueros.

Verū hoc ideo permittit, cum ut electi ex ualle

h h h lachry.

Ex concione
ne habitus
anno 45.

lachrymarum ad æterna transferantur gaudia, tum
vt mundi tyrannis magis elucescat, vt huius suppli-
cium reddatur grauius.

Porro quos aliquandiu intactos seruat, eos ser-
uat ob id, vt plureis adhuc pietatis edant fructus,
vt plures adhuc sibi adducant, vtque premia eorum
cumulatiore ac auctiora fiant. Quocunq; igitur
verterimus oculos, vtcunq; cedat, videmus, nihil
contra electos fieri posse, quod non ipsis cedat in lu-
crum vberimum.

Quare & nos iam admonebimus, vt quemadmo-
dum sortes nostræ sunt in manibus Domini, ita ipsi
& nos & omnia nostra soli concedamus, proindeq;
siue nos seruet ac protegat, siue exerceri sinat tribu-
lationibus, boni consulamus: certi, quod nihil no-
biscum acturus sit aliud, quàm quod gloriam ipsius
illustret, nobisque existat salutiferum.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

Anno 48.

IN hoc Euangelio talis nobis historia proponitur,
quæ Deum prorsus partialem ac contrarijs affecti-
bus obnoxium videtur constituere, eoque non pau-
cos homines sacræ scripturæ ignaros offendere po-
test. Commemorat enim, Deum eripuisse ac seruas-
se filium suum Iesum ab Herodis tyrannide, dereli-
quisse verò contra pueros Bethlehemiticos, inque
hos ipsum Herodem pro libidine seruire permisisse.
Quid hinc quæso aliud colligi potest in speciem,
quàm Deum partialiter agere? hunc scilicet seruare,
alium perdere? pro hoc curare, de alio nullam habe-
re curam? Erga filium sollicitudinem prorsus pater-
nam declarauit: at erga Bethlehemiticos vbi quæso
paterna cura emicuit? Hæc in speciem quidem sic

appa-

apparent: verum si rem penitius introspexerimus,
 vtrobiq; exercuit curam paternam optimus pater.
 Omnis enim paterna cura eo & vergit & vergere
 debet, vt omnia vtilia salutiferaque reddantur quæ
 curat. Quod autem Deus seruaue filium & necari
 interim permisit innocentes, id vtrunq; fuit maxi-
 me & vtile & salutiferum. Ergo vtrunq; cura verè
 paterna emicuit, vtrunq; officio suo satisfecit pater
 clementissimus. Sed quomodo vtrunq; vtile fuit?
 Filium suum Iesum redimendis & saluandis omni-
 bus hominibus miserat. Vtile igitur & salutiferum
 fuit, hunc seruari vsque in id tempus, quo prædissi-
 nitum erat, perfici ab eo opus redemptionis nostræ.
 Nam alioqui, si iam statim occubisset, non potuis-
 set satisfacere scripturæ vaticinijs, ideoque omnium
 salus fuisset prædita. Caterum pueros illos Beth-
 lehemiticos æternæ omnes saluti destinauerat Deus.
 Fuit itaq; vtile & salutiferum; eos in ipsa statim in-
 fantia mori, ne alioqui (si peruenissent ad ætatem ad-
 dultam) malitia immutaret eorum intellectum.
 Nam propterea (vt scriptura testatur) transfertur à
 Deo iustus, ne iniustus post euadat. Sic nimirum hos
 infantes ad ipsorum omnium salutem permisit necari
 ab Herode, filium autem ad totius humani ge-
 neris redemptionem è manu Herodis per fugam in
 Aegyptum eripuit. Ad hunc igitur modum tota hæc
 historia nobis omnibus consolatoria est, & conso-
 lationem addere debet. Certificamur namque hinc,
 omnia esse in manu Dei, nihil posse omnes tyran-
 nos citra ipsius permissionem, nihil nobis posse ac-
 cedere mali à quoquã ante horam ab ipso præstitu-
 tam, immò nihil euenire nobis electis & credētibus
 nisi ad nostram salutem faciens. Atq; hac occasione
 nos totos Deo & diuinæ ipsius curæ concredere de-
 bemus,

bemus, & semper & vbiq̄ue, siue simus domi, siue ruri, siue in syluis, siue in mari. Si Dominus nos seruare voluerit, si nondum hora nostra adsit, neque tonitrua fulguraq̄ue, neque latrones, neque tyranni, neque tempestates, neque piratæ, neque vllæ denique creaturæ nobis nocere poterunt. Vt cunq̄ue velint & disponant, Deus tamen perficere non sinet. In manu eius sunt omnes fines terræ. Contrà verò si quid acciderit alicubi, certò sciamus, id permissu diuino & ad nostram salutem fieri, adesseq̄ue horam prædissinitam: eoq̄ue nos & omnia nostra committamus diuinæ voluntati.

IN IDEM CONCIO

TERTIA.

Anno 506.

AVdiuimus hisce diebus & porrò etiam audiuimus, Christum Iesum verum esse Messiam, & regem regum, diu à patribus expectatum, qui regnet in secula seculorum. Iam verò ne quis fortè imaginetur regnum Christi terrenum ac mundanum fore, in quo is veluti Nabuchodonozor aliquis Babylonius, aut Persa Cyrus, aut Macedo Alexander, Cæsarû Romanorum Augustus, hostes suos proterat, & victor armis totum orbem occupet: audimus hic memorabilem historiam de fuga Domini in Aegyptum, & nece infanda innocentium puellorum. Hac enim historia adumbratur, & quasi prognostico quodam innuitur, quale esset regnû Christi futurum: nimirum in hoc mundo laboriosum, durum, calamitosum. Non adultus modò, & ad virilem progressus ætatem, sed infans quoq; dura pertulit Dominus, Nascimur quidem omnes nos carne circumdati mortali & multis obnoxia malis, inter-

rim tamen alius alio nascitur fortunatior, minusq;
calamitosus. Christus autem rex noster sidere prorsus
infelicissimo natus, non certis & moderatis, sed
infinitis ac intolerandis pulsatus est calamitatibus.
Graue est periclitari simul fama, vita & facultati-
bus. Grauius est, expelli patrijs sedibus, eijci in exili-
um ad homines barbaros, quorum neque mores no-
ris neque linguam. Grauiissimum vero est, hostem
ceruici imminentem sustinere, hostem inquam po-
tentem, immò regem, & vaserrimum & inuictum.
Verùm hæc omnia pertulit Dominus & rex noster in
ipsis adeò cunis. Cui id quoque mali accessit, quòd
malum hoc in ipsum etiam Ioseph virum iustum &
simplicem, adeoq; in ipsam quoque matrem virgi-
nem pudicissimam deriuabatur.

Sed omnia illa Seruator clementissimus primùm
nostri gratia pertulit, vt eiectos scilicet paradiso, se-
dibus restitueret patrijs ac beatissimis: quemadmo-
dum & homo factus est, vt nos faceret Dei filios: in-
summa item paupertate natus est, vt nos cœlestibus
bonis æternum ditaremur. Deinde verò sustinuit ea-
dem & in documentum exemplumq; suæ Ecclesiæ,
vt doceret nos regni sui qualitatem, vtq; nos regni
sui ciues ad patientiam pertraheret: significans, & no-
bis sui nominis ergò ferendum exilium, inopiam, fa-
cultatum direptionem, optimatum odia, nominis-
que & vitæ periculum, naufragiumq;.

Cæterùm expendamus nunc admirandum quo-
que Dei consilium, vt inde & consolationem in ma-
lis accipiamus. Potuisset sanè Herodem populi sui
pestem nullo negotio perdere, & salutem populi sui
Christum Dominum seruare incolumem. Sed non
omnia quæ potest Deus, eadem & facit. Oportebat
enim & Christum pati pro mundi salute, & Herodis

iniquitatem reuelari. Quòd ergo Deus non facit semper quod potest, non per impotentiam quandam aut malignitatem intermittit, sed quòd sic egisse neque conducatur expediatue nobis, neque ipsum sic deceat agere. Interea verò, vt maximè Deus maximis suos malis exponat & afflictionibus grauibus exerceat, nusquam tamen eosdem negligit, sed monet in tempore, consolaturque & confirmat: quemadmodum in presenti quoque cernimus historia. Dormiebat Ioseph securus, & consiliorum Herodis nescius: sed vigilauit hic Deus, ipsiq; per angelum suum & periculum imminens indicauit & subterfugendi viam prescripsit. Gaudeamus itaque Christiani, quòd tamen si multa nobis Christi ciuibus mala impendere audiamus, eum tamen habeamus regem, quem nihil latere potest, & qui vigilat pro nobis. Proinde ne diffidamus Deo, sed committamus ipsi tutò omnia. Iam, vt didicimus hæc, quæ ferenda nobis sint, & quid consolationis nos vicissim maneat: ita in exemplo Ioseph & Mariæ virginis de paræ descendu nobis porro proponitur, quid deceat nos regni Christi contortes, vt fide videlicet sincera & obedientia sancta ubiq; nos Deo subiciamus. Nihil hic recusarunt parentes Domini, non accusarunt inquam sortem suam, non causati sunt imparatos se esse tantæ profectioni, non obiecerunt: Si is est filius ille Dei, & se vindicet de hoste prophano, & rueatur etiã nos. Nihil inquam huius vel in mentem admiserunt, sed ubiq; Deo crediderunt & obedierunt, atque eius se curæ commiserunt, immò illa ipsa nocte statim exsurrexerunt, & monitis Dei absque vlla parierunt mora. Sic inquam & nos animatos esse decebit in rebus paribus, si in regno Christi & huius cultores videri velimus: atque vt ipsi parentes in Aegypto manserunt vsque ad Herodis mor-

dis mortem, sic nos quoq; in fide & bono opere perseverare oportebit. Quod autem Christus in Aegyptum fugiturus erat, nō casu aut fortuito factū est, sed diuina prouidentia, & iuxta Osee testimonium. Vnde nimirum religioni nostrā & regno Christi magna conciliatur auctoritas: docemurque etiam, nihil & nobis accisurum, nisi Domini prouidentia.

Audiuimus hucusq; quomodo Christus Herodis manus euaserit. Sed nunc & de Innocentiū nece porro audiamus, itidem ad nostrā consolationem. Hoc quidem consilio occidit ille infantulos, ut in tanto numero & ipsum puerū Iesum (quem unice cupiebat extingui) simul occideret, quō videlicet sic tutō suū obtineret regnū. Verū Dominus (ut accepimus) consiliū eius omninō frustratus est, misso filio in Aegyptū. Quod verō fuit illū in innocētes interim grassari, nec & hos itē subduxit: eo non iniurius illis fuit, sed admodū in eos fuit beneficus. Nam cōtulit ipsis meliora, quā ipsis abstulerint impij furoris satellites: ereptos enim ex hoc seculo prauo & ærumnoso, ineffabili & æterna donauit gloria. Hoc igitur animabit nos, ut in mortis discrimen lapsi & morituri seu occidendi, nō putemus nos à Deo esse derelictos, sed per mortē ad vitam feliciter trāsferendos. Dicamus ergo cū Paulo: Siue uiuim⁹, siue morimur, Dñi sum⁹.

Porro in Herode tyranno discimus, quid profecturi sint, qui fidem Christianam & pios crudelitate sua conantur extinguere: & quomodo Christus in medio quoque inimicorum suorum regnet. Ille ad eō nō potitus est voto suo, ut insuper macula nunquam eluenda sese consperferit, immō & æternam sibi ignominiam inuaserit, & supplicium sibi horribile adsciuerit. Idem & omnibus tyrannis usu veniet. Quod autem Dominus primitias vo-

112 IN FESTO EPIPHANIAE

luit esse martyrum sui regni Innocentes: inde docemur nos, innocentes & simplices placere illi, ideoque monemur, vt & ipsi anteq̃ omnia innocentia studeamus.

Ex concione habitata anno 51.

Huius igitur tyranni exemplo discent omnes, qui in sublimitate sunt constituti, siue sint politici, siue etiam ecclesiastici, ne videlicet sic consultant vnam, vt aduersus Dominum & veram pietatem consultant. Alioqui enim, quemadmodum Dominus Herodis dissipauit consilium, sic idem & illorum consilia, cogitationesque ad nihilum rediget. Psalm. 33. Quin potius si consultare quid volunt, ipsum Dominum adhibeant in consilium, hunc timeant, huic se ratione de omnibus suis statutis & consilijs reddituros esse sciant.

IN FESTO MAGORVM SIVE
EPIPHANIAE, IN EPISTOLAM
CONCIO PRIMA.

Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, &c. Esaiæ LX.

Habitata anno 45.

Dominica proximè elapsa in Euangelio ex Simeonis verbis audiuius, Christum vnà cum doctrina sua positum esse in ruinam & resurrectionem multorum. Hoc ipsum paradoxon in hodierna lectione nobis pulchrè explicatur. In ea enim habemus, quibus Christi doctrina, hoc est, Euangelij cedat in ruinam, quibus contra in resurrectione. Quonia verò isthuc cognitum habere maximè nostra interest, paulisper de eo dicemus per Christum. Quare vos admonitos volumus, vt benignas adferatis aureis.

Principio itaque, quibus Euangelium in ruinam cedat, his Propheta subaperit verbis: Ecce (inquiens) tenebræ

tenebrae operient terram & caligo populos. Vide, terræ & populus ruinæ erit occasio doctrina Christi. Sub terræ autem nomenclatura in sacris literis intelliguntur omnes illi, qui terrena sapiunt, mundanis rebus veluti diuitijs & voluptatibus adlubescunt, carnalia desideria sequuntur. Sub populorum verò nuncupatione illi intelligendi veniunt, qui duri sunt ceruice, qui incircuncisis sunt auribus & cordibus, qui obstinatè spiritui sancto, hoc est, agnitæ veritati, resistunt. Quicumque igitur carnis affectibus, odio, libidini, auaritiæ, delicijs, ambitioni, vanæq; gloriolæ immoriuntur: quicumque item obstinaciter reuertuntur veritati, spretaque Dei iustitia suam ipsius iustitiam statuunt, ijs Euangelij prædicatio cedit in ruinam, ijs Christi doctrina fit odor mortis in mortem, adeoq; cumulus æternæ damnationis. Sed num culpa est in Euangelio? nequaquam. Quòd enim notua solis splendorem non potest ferre, sed ad illum cæcutit, non solis culpa fit, sed vitiosorum oculorum, quos habet noctua: Sic quòd homines terreni, obdurati, & iustitiarij ad Euangelicæ doctrinæ lucem impingunt, eaq; offenduntur, non huius fit culpa, sed illorum vitio. Nam quod illis datū est in lucem, vertunt ipsi sibi in tenebras: quod datum illis est ad vitam, eo ipsi vtuntur ad mortem. Quòd autem huiusmodi terreni homines ac iustitiarij Euangelio verè offendantur, testes sunt primæ ætatis homines diluio extincti, testes sunt Sodomitæ & Gomorrhitæ, testes sunt Pharisei, Sadducæi, testes inquam sunt omnes impij in hodiernum vsque diem. Ex hoc tū forte venit etiam, quòd mundus semper tam atrociter tyrannidem exercuit in eos, qui Euangelium tū prædicarunt, tum amplexi sunt.

Porro, quibus Christus & euangelium in resurre-

tionem cedat, Propheta his verbis patefacit: *Super te autem* (inquiens) *Hierusalem orietur Dominus & gloria eius in te videbitur.* En, Euangelium Hierusalem cedit in resurrectionem. Sub Hierusalem autem appellatione omnes illi tum Iudæi tum Gentes intelliguntur, qui habent visionem pacis, hoc est, qui credunt se (alioqui condemnatos) pacem & reconciliationem consequutos esse apud Deum patrem per Iesum Christum, qui omnibus suis & operibus & meritis diffusi, solum Christum agnoscunt suam iustitiam, suaque merita, Quicunq; ergo sic suam ipsorum fatentur in iustitiam ac condemnationem, creduntq; ex animo Iesum Christum esse pacem ipsorum, hunc per sanguinem suum interstitium maceræ diruisse, simultatem per carnem suam soluisse, legem mandatorum in decretis sitam euacuasse, pacem fecisse, reconciliasse & trunq; populum in vno corpore Deo per crucem, &c. ijs Euangelium sit potentia in salutem, ijs verbum hoc crucis sit Dei virtus, odor vitæ in vitam, adeoq; æternæ saluationis occasio. Euangelium inquam, quod impijs cæcitatem, merasq; tenebras incutit, his veris Hierosolymitis lux est splendidissima, lucerna pedibus, lumen semitis. Quod autem credentes per Euangelium resurgant, testes sunt omnes patriarchæ, prophetæ, apostoli, apostolici, & omnes denique pii. Inde tum deponunt pristinam conuersationem, & renouantur spiritu mentis suæ, loquuntur veritatem, agnoscunt se inuicem membra. Ephes. 4.

Audiuistis iam breuiter, quibus Euangelium sit officendiculo, quibus item resurrectioni. Restat itaque, vt (si quidem salus nobis cordi est nostra) huc omnibus modis incumbamus, quò Euangelij lucem nobis illucescentem, gloriam Domini nobis obortam, sic audiamus & fidei oculis inspiciamus, ne
 inde

inde nobis ruina, sed potius resurrectio accedat sempiterna.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

Hodie solennem Ecclesia agit memoriam eius & temporis & facti, quo Magi venerunt ab Oriente Hierosolymam adoratum recens natum Regem Iudæorum, Dominum nostrum Iesum Christum. Iam verò Lectio hæc Esaiæ pulchrè cum ea historia concordat, immò & vaticinium eius est. Nam audiemus in Evangelio, ortam esse stellam in Iudæa, & ad huius conspectum venisse Magos: ita hinc audimus, venisse lumen Hierusalem, & ambulaturos Gentes Regesque in splendore eius. Audiemus item in Evangelio, obtulisse Magos Domino Iesu aurum, thus, & myrrhã: ita hinc audimus, omnes venturos de Saba, aurumque & thus delaturos, ac laudem Dño nunciaturos. Videmus igitur hinc, admodum conuenienter ordinatam esse Lectionem præsentem ad hæc sacras ferias.

Cæterum in genere hortatur Esaias in ea Ecclesiam Hierosolymitanam, hoc est, pios credentesque Iudæos, ut ad venturum suum lumen, hoc est, Messiam suum & huius verbum diligenter sese parèt, sinatque se ab illo illuminari, ubi iam venerit, & gloriã suam super eos manifestauerit. Prædicat quoque Propheta ibidem, ipsas etiam Gentes (quæ hæctenus ambulauerint in tenebris & regione umbræ mortis) ambulaturas in ipsorum lumine, hoc est, agnaturas Christum & in hunc huiusque verbum credituras, sicque fore illum tam Gentium quam Iudæorum Regem ac Dñm: ideoque monet nunc Iudæos, ne eam salutem Gentibus inuideant, quin potius ut gaudeant de illarum conuersione ac salute, ut quæ ipsis minimè fraudi sit futura. Hæc nimirum

mirum totius Lectionis summa est. Iam verò quod nos attinet, moneri inde debemus, vt quando & nobis venit lumen Hierusalem Messias Iesus Christus, gloriaq; eius (hoc est, Euangelica & doctrina & gratia) super nos orta est, ambulemus in eo lumine, nosq; ab eo illuminari (hoc est, doceri, moneri, trahi, conuerti, & saluari) sinamus: ne videlicet & nos operiat tandem caligo, priuemurq; rursus accepta gratia.

IN FESTO MAGORVM SIVE E-
PIPHANIAE, IN EVANGELIUM
CONCIO PRIMA.

*Cum autem natus esset Iesus Bethlehemi civitate Iudae
temporibus Herodis, &c. Matth. II.*

*Habita
anno 45.*

EX Lectione Prophetica iam iam audiistis, quibus Euangelium Christi sit tum in ruinam tum in resurrectionem. Audiistis autem, quòd ijs ruinæ sit occasio, qui quum in tenebris versentur, sintque tenebræ ipsissimi, tamen in luce se esse existimant, hoc est, qui tametsi omnijugis peccatis sint refertissimi, tamen peccatores se non agnoscunt, immò con summam sibi iustitiã vendicant. Audiistis item, quòd ijs Euangelium resurrectionis sit occasio, qui vt tenebræ sunt & in tenebris versantur, sic agnoscunt etiam suas tenebras, & illuminari sese sinunt, hoc est, qui vt peccatores sunt, sic peccatores quoque sese agnoscunt, & lucis Euangelij, nempe gratiæ Dei, desiderio tenentur.

Cæterum in præsentì Euangelio porrò audietis, quibus Christus ipse sit tum offencilulo seu ruinæ, tum resurrectioni. Hic enim vtrinque viua exempla habemus. Ruinæ quidem, in Herode, principibus sacerdotum, & scribis populi: resurrectionis verò, in
Magis.

Magis. Vt autem omnia clara fiant, de vtrisque; exemplis paulisper pro nostri doctrina & admonitione agemus. Vos verò, vti hæcenus, sic & deinceps diligenter animum aduertite.

Quod ad ruinæ exēpla attinet, audiuitis ex Evangelio, quemadmodum statim, posteaquam in Bethlehē natus esset Iesus Christus seruator noster, isq; rumor percrebuisset, rex Herodes, & omnis Hierosolyma conturbati sint simul: nec conturbati solū, sed & omnes admouerint sedulo machinas, quò ipsum & clam & palam, & prodendo & occidendo, perderent, extinguerentque. Herodes autem tam internè quàm externè fuit impius: Principes verò sacerdotum, & scribæ populi externè quidem simulabant pietatem, at internè si non peiores, certè non probiores fuerunt Herode. Sed quid mouit Herodem, vt sic conturbaretur ob natum Christum, vt sic insidiaretur infantulo? Duo certè: prius, erat ingenua animi crudelitas, qua supra modum agitabatur semper in innoxios: posterius verò, erat timor, quo metuebat tum sibi tum suo imperio. Verum non erat, quò ad deò trepidaret & conturbaretur. Non enim venerat Christus carnale regnum auspicaturus, sed cœleste, quemadmodum pulchrè canit Ecclesia; Herodes (inquiens) hostis impie, Christum venire quid times? non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia. Ast quid Solymitas mouit, vt ita cum Herode conturbarentur? Sanè itidem duo: alterum erat incredulitas, qua summa laborabant. Nam alioqui si credidissent, fuissent potius gauisi, quàm conturbati ob natum Messiam. Alterum verò erat metus, quo timebant, ne per ipsum maxima sanguinis effusio fieret, quam esset expulsurus Herodem tãdem. Verum, si quidem probè Scripturam examinassent, non poterant quippi-

am eiusmodi timere. Testabatur illa enim, ipsum pacis futurum principem, veramque pacem inuecturum. Quadrauit igitur tum in hos Solymitas tum in Herodem, quod habetur Psal. 13. Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Et Psal. 24. Odio habuerunt me gratis. Et Psal. 2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Sed quid hinc colligemus? Hoc nimirum, quod nulli adeo per Christum offendatur, ipsumque odio, tum semper insectati sint, tum hodiè in ipsius membris insectentur, quàm huius mundi principes, sapientes, iusti. Principes quidè ob id, quod ipsorum tyrannis, superbia, & gloria ab eo condemnetur: sapientes autem ob id, quod ipsorum sapientia coram illo stultitia mera censeatur: iusti autem, quod ipsorum iustitia mera hypocrisis & iniustitia ab illo æstimetur, quod doceat, sibi vni iustitiam omnem debere vendicari. En, huiusmodi hominibus Christus ruina est, lapis offensionis, & peccata scandali.

Iam quod attinet ad resurrectionis exempla, audiuitis ex Euangelio, quo pacto statim post natum Christum Magi ex longinquis regionibus Hierosolymam venerint ad adorandum illum, & quanquam ibi non inuenerint quem quærebant, non tamen desisterint ab instituto itinere, donec illum inuenissent. Hi verò Magi gentiles quidem fuere, sed tamen post agnitum errorem gratiæ sitientissimi. Inde namque, posteaquam ablatis ignorantie & peccatorum tenebris noui luminis nouam stellam vidissent, tam longinquum omninò iter facere non dubitarunt, quod prorsus ab eo illuminarentur, quod gloria Domini super se oreretur. In hos itaque verè competijt, quod

audi-

audiuimus in Lectione, nimirū: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Et Psal. 17. Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, statim vt audierunt, congregauerunt se ad me. Et Psal. 71. Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.

Sed quid hinc colligemus? hoc nempe: quòd illi potissimum in Christo resurgant, qui agnoscunt se esse miseros peccatores, tenebris errorum & peccatorum refertos, gratiæ ac misericordiæ diuinæ egentes, quiq; proinde post visam stellam ex regione umbræ mortis statim egrediuntur, acceduntq; lumen illud Hierusalem, gloriam illam Domini, solom illū iustitiæ, illuminatorem illum tenebrarū, thronū illum gratiæ, eundem inquam Iesum Christū, procidentes coram illo, adorantes illum, & offerentes ei munera cordis contriti, sinceræ fidei, & flagrantis charitatis. Vide, huiusmodi hominibus Christus est resurrectiōnis occasio: his ille idem, qui impijs est lapis offensionis & petra scandali, est lapis probatus, electus, pretiosus, & ab omni confusione liberans.

Nūc ad memoriam reuocate, quid audieritis habetis: audiuitis aut, omnes illos in Christū impingere, qui coram mundo sint potentes, sapientes, & iusti: illos eōtrā per ipsum resurgere oēs, qui sese agnoscāt infirmos, stultos, & miseros peccatores. Reliquū igitur est, vt si verè in Christo resurgere velimus, si verè potentes, sapientes & iusti cupiamus euadere, ante omnia nostræ potentiæ, sapientiæ, & iustitiæ renunciemus, inq; solo Christo oēm cōstituamus potentiam, sapientiam, & iustitiam nostram, Amen.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

Anno 48.

Evangeliū hoc præclarum, & ad iustitiam nobis seruit, & ad exemplum: & ad fidem nos hortatur, & ad bona opera. Expendamus igitur illud diligenter, ad omnium nostrū tum doctrinam tum hortationem.

Primo, quod ipsam fidem & iustitiam attinet, ad vnum Iesum respiciamus necesse est, vt nimirum talem agnoscamus eū, qualis hīc à Matthæo esse probatur. Probat is autem, illum verum esse Mesiā, hoc est, verum regem & sacerdotem, verum orbis totius seruatorem & dominum om̄ium creaturarum. Sed quibus argumentis hoc ipsum Euangelista probat. Tribus, ijsq; fortissimis profectō. Primum est, quod natus sit Iesus Herodis regis tempore: secundū est, quod pontifices & scribæ ex Michæa testati sint, Christum in Bethlehem Iudææ nascendum: tertium ac vltimum est, quod Magi ab oriente venerint adoratum Iesum regem Iudæorum, eiq; obtulerint aurum & thus & myrrham. Prædixerat patriarcha Iacob, tum venturum Mesiā, quando Iudæi nō iam amplius ex suis tribubus regem haberent, sed alienigenam. Genes. 49. Quum verò & nasceretur & natus esset Iesus, non amplius illi proprium habebant regem, sed priuati erant regno, cogebanturq; Imperatori Romano & Herodi alienigenæ parere. Ergo certum est, Iesum verum & fuisse & esse Mesiā. Prædixerat & Michæas propheta ex ore Domini, Mesiā nascendum in Bethlehem. Mich. 5. Sed Iesus certō in Bethlehem natus est. Luc. 2. Indubitatum igitur est, ipsum Mesiā & fuisse & esse. Prædixerat adhæc Esaias, vt ex Lẽctione accepimus, Gentes de Saba venturos Hierosolymam, aurumq; & thus delaturos, & laudem dicturos Domino Mesiæ. Verū post Iesum natum venerūt Magi ab oriente Hierosolymam, &

Stella

stella duce Bethlehem peruenierunt, ibique adorantes obtulerunt puero Iesu aurum & thus & myrrhā, vel ipsis donis testati, illum verum fuisse Christum. In confesso itaque est, nec potest negari, quod ille verus Messias & fuerit & sit. Si ergo verus Messias (rex, sacerdos, Deus, & homo) est, par & æquū est, vè & pro tali eum habeamus ac retineamus. Hæc verā fuerit fides, ex hac fide verè iustitiam (remissionem scilicet peccatorum & vitam æternam) consequemur.

Cæterum, quod spectat ad exemplum & bona opera, ad ipsos potissimum Magos respiciamus oportet, vt nempe illorum exempla & facta sedulo imitemur. Ij verò (vt accepimus) præter & iuxta fidem illam constantissimam, duo egregia facinora patrarunt. Nam & obtulerunt Domino Iesu pretiosa munera, & ad Herodem non sunt reuersi. Hæc igitur & nos modis omnibus imitari debemus. Non satis nobis sit, adorare cum illis Iesum, hoc est, ipsum Seruatorem & Deum agnoscere: sed & munera tantæ personæ paria ipsi offeramus oportet. Aurum scilicet, hoc est, puram obseruationem Legis diuinæ. Psalm. 19. & 118. vt nimirum ipsius legem & voluntatem sedulo exequamur. Si enim ille rex noster est, ipsius certè legi faciendæ sumus astricti. Est autem lex ipsius, vt illum diligamus ante omnia & proximos nostros vti nos ipsos. Item thus, hoc est, preces deuotas in fide fusas, seriam nominis ipsius prædicationem, beneficentiam & communicationem in pauperes. Si enim ille sacerdos noster est, immò mediator & Deus, sacrificemus sanè ei oportet: talibus autem hostijs ille cum primis placetur. Ioan. 16. Psalm. 49. Heb. 13. Adhæc verò & Myrrham, hoc est, carnis mortificationem suppressionemq; malarum cupiditatum:

vt nimirum corpus nostrum ieiunijs & vigilijs casti-
gemus, castè & còtinenter viuamus, humiliter & ab-
iectè de nobismetipsis sentiamus. Atque vt hæc om-
nia integra maneât, non reuertendum nobis est ad
Herodem, nihil commercij habebimus cum impijs
& sanguinarijs. Corruptent enim mores confortia
praua. Amplif.

IN IDEM CONCIO

TERTIA.

Anno 50.

AVdiuimus hætenus multis argumentis ex Lu-
ca, Iesum verè esse Christum, ideoq; benedictũ
illud semen Abrahæ à Deo esse exhibitum & natum
in mundum. Idem nimirum & Matthæus in hodie-
no Euangelio probat euincitq; . Nam propterea ex-
ertè dicit, natum esse Iesum in Bethlehem Iuda ac
temporibus Herodis: propterea quoque exortæ Stel-
læ & Magorum aduentus facit mentionem. Quòd
quidem eo & loco & tempore nasciturus esset Chri-
stus Seruator, quo noster Iesus natus est, id antehac
vobis ex Michæ prophetæ & Iacob patriarchæ tes-
timonio euidens fecimus. Quòd verò Stellam & Ma-
gorum aduentum attinet: habemus Num. 24. quòd
expansura se esset stella de Iacob, & tum virga (seu
rex) Israelis surrectura: & Esaia 60. legimus, quem-
admodum etiam Psalm. 71. Reges de Saba venturos,
aurumq; & thus oblaturos, Dominiq; annunciantes
laudem. Quum ergo tempore nati Iesu Stella de Ia-
cob in Oriente apparuerit, adeoq; & demum steterit
supra locum in quo erat puer: quum item Magi pue-
rum Iesum & quæsitum & adoratum venerint, eiq;ue
aurum, thus & myrrham obtulerint: consequitur ir-
refragabiliter, ipsum verè esse Christũ, regè Iudæo-
rum, & orbis saluatorem. Cæterum præter hæc, quòd
icili-

scilicet ostendit Matthæus, Iesum verè esse Christum: cum primis etiam in hoc Evangelio describit Epiphaniam Domini, hoc est, quomodo & quibus cœlestis Pater aperuerit manifestaueritque filium suum Iesum. Nihil sanè profuisset natiuitas eius, si ea mansisset obscura: maximè, quando non sibi, sed mundo natus ille sit. Oportuit ergo eius natiuitatem orbi innotescere, atque palàm doceri, quibus ille natus ac salutaris esset. Testatur itaque Evangelista hïc, manifestatam esse natiuitatem Domini & Gentibus & Iudæis: vt nimirum inde claresceret, ipsum omnibus natum & salutarem esse, tam Iudæis, quàm Gentibus, tam contrà Gentibus quàm Iudæis. Iudæis omnium primò promissus ille erat: his ergo primò etiam omnium manifestatus est, Pastoribus nimirum, Simeoni, & Annæ prophetissæ. Verùm quia Iudæi ex primis futuri erant nouissimi, hïc (in magna illa manifestatione) innotuit Dominus primò Magis gentilibus, quàm ciuitati Hierosolymæ. Imò Magi illi primò omnium nunciarunt Hierosolymitis, natum esse ipsis regem. Certificamur igitur hinc, nostram (hoc est, Gentium) vocationem certam esse, nos quoq; ex nouissimis factos esse primos. Videamus modò, vt in vocatione nostra maneamus, ne contrà ex primis fiamus nouissimi. Vt verò verè in vocatione nostra maneamus, sequamur sedulò duces nostros primos Magos: à Iudæorum verò & Herodis contrà exemplo prorsus impio caueamus nobis. Per Magorum aduentum & nuncium adeò Iudæis & Herodi Domini natiuitas manifestata est, vt & illi cum hoc, & hic cum illis conturbatus sit: Verùm Iudæi natum suum regem contempserunt, Herodes eundem occidere conatus est, soli Magi adoratum ipsum venerunt. Hos ergo (vt dixi) sequamur nos. Hi ex stellis

illa exorta didicerant diuinitus, natum esse Christum regem, & natum quidem hunc esse tam ipsi quam Iudæis. De hac reuelatione Dei nihil addubitarunt, vera & firma crediderunt esse omnia: ideoq; mox accincti sunt itineri laboriosissimo remotissimoq;, regem illum visuri, immò & adoraturi. Ab his igitur discamus omniū primò, ne & ipsi Dei reuelationibus per verbum ipsius reluctemur, sed obsequamur & credamus, immò insequamur quocunque ille nos vocarit.

Deinde verò Magi, vt Hierosolymam iam (vbi putabant se regem recens natum inuenturos) appulissent, liberè & apertè cōfessi sunt eum & eius natiuitatem. Sciebant quidem Herodem esse regem Iudææ potentem gloriosumq;: verum tanto rege præterito, de alio rege inquirere ausi sunt: agnoueruntq; hunc tantum esse regem, vt stellas quoq; haberet sibi seruientes, essetq; ob id modis omnibus adorandus. Hic iam monemur nos, vt itidem Christum regem (quem agnoscimus fide) intrèpidè ore confiteamur, nihilq; diffidamus, ipsum in nostram salutem esse editum: non timeamus tyrannorum minas & cruentas manus, nullius nos laboris propter Christum suscepti pigeat, & Christi prorsus nos non pudeat, sed ipsum laudemus & adoremus regnantem in secula.

Porrò vbi Magi diuina prouidentia per Micheę vaticinium in fide sua confirmati essent, audissentque insuper Herodem, constanter in instituto perrexerunt, nulla omninò re offensi. Sic & nos in fide & cōfessione nostra, Christiq; cultu progredi ac perseuerare debemus, etiamsi omnis mundus aliud sentiat & moliatur. Sed videamus etiam iam, quomodo Deus suis cultoribus nuspiam desit. Principiò, quod mirum fuit, reddit Magis Herodem mitem & tractabilem:

lem: qui alioqui potuisset animaduertere pro animi sui consueta libidine in illos tanquam in læsæ maiestatis reos, utpote qui in vrbe regia noui regis natiuitatem prædicabant, interea ipsum nec salutabant nec alloquio dignabantur. Deinde & præclarum fuit Dei beneficium, quod vrbe egressis protinus stellam obijciebat, quæ illos præcederet, & locum natiui pueri ipsis indicaret: inde enim, quum omni excidissent spe humana & in fide vacillare potuissent, spem simul & gaudium, fideique confirmationem hausserunt. Sic nimirum & nobis affulgebit Deus cum maxime opuserit, si perseueremus in instituto sancto, atque a solo ipso pendeamus. Discamus ergo constantes esse in rebus sanctis, & solum spectare Dominum. Iam verò diligentius adhuc præclara Magorum fides ex operibus illustratur. Inuenerunt ij turgurium humile, matrem pauperulam, pusionem pannis inuolutum, nihilque illustre aut regium vsquam apparebat: nihilominus tamen prociderunt, & adorarunt puerum, hunc agnoscentes verum & regem & Deum. Non solum autem adorauerunt hunc, sed & muneribus sese ei addixerunt: quibus tamè pulchrè expressere, quid de ipso senserint. Aurum obtulerunt ei, tanquam regi potentissimo: thus autem, tanquam Deo vero: myrrham verò, tanquam mortali homini. Nam aurum (vt Fulgentius inquit) pertinet ad tributum, thus ad sacrificium, myrrha ad sepulturam.

In his iam & nos Magos sedulò imitemur: primò ne æstimemus pia & diuina ex spe externa, sed magis ex virtute inuisibili. Deinde offeramus etiã ipsi Christo aurum, thus, & myrrham: hoc est, agnoscamus ipsum regem regum, verum Deum, & verum hominem: item propter ipsum omnes seculi diuitias cõ-

temnamus, flagranti desiderio cœlestia inquiramus, & carnem nostram crucifigamus. Ita nempe futurum est, vt quemadmodum Dominus Magos de manu Herodis eripuit, & tutos eos in regionem ipsorum perduxit, sic & nos omnibus eximat malis, & introducat tandem in regionem viuorum. Am.

IN FESTO CONVERSIONIS
PAULI, IN EPISTOLAM CON-
CIO PRIMA.

*Saulus autem adhuc spirans minas ac cædem ad-
uersus discipulos, &c. Act. IX.*

Habita
anno 45.

QVemadmodum Lectio hæc verbis copiosa est, sic sensu quoque & fructibus longè est ditissima, idque adeò, vt si quis omnia sigillatim prodignitate enodare, illustrareq; vellet, ei totus dies non posset sufficere. Verùm nos, quia diutino temporis vsu destituimur, ex multis pauca quædam, sed quæ tamen primarium eius scopum complectantur, in præsentia tractanda sumemus. Dicemus autem de spiritali hominis regeneratione seu conuersione. Atque vt oratiuncula nostra & intellectu & retentu fiat facilior, hanc eandem, quam delegimus propositionem in tria veluti membra partiemur. Primò enim Christo auspice ostendemus breuiter, quid ac qualis homo sit ante ipsam regenerationem: secundo declarabimus, quomodo in homine regeneratio fiat: tertio ac postremò docebimus, in qualem euadat regeneratione accepta. Quàm honesta verò, quàm utilis item & necessaria horum trium cognitio sit, omnibus verè theodidactis est testatissimum. Et puppis enim & prora salutis nostræ in ijs sita est. Quare summa animaduertite diligentia.

Prin-

Principiò igitur, quod ad primum attinet: nimirum quid ac qualis ante regenerationem sit homo, videmus id in Paulo luce clariùs. Qualis verò is ante regenerationem fuit? Lucas certè ingenuè dicit, fuisse illum atrocem Discipulorum Domini persecutorem: adeò, vt nocte, diuque omneis excogitaret machinas, quibus eos irretitos neci propinaret. Immò non Lucas solùm huiusmodi de ipso fert elogium, sed ipsemet etiam hanc indolem liberè fatetur, idque cum alibi, tum præsertim 1. Corinth. 15. Ego (inquiens) sum minimus Apostolorum: qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Et: 1. Tim. 1. Prius blasphemus fui & persecutor & violentus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. En, hoc pacto omneis æquè homines ante spiritualem regenerationem erga Christum & huius sectatores affecti sunt. Christus & ipsius doctrina illis est lapis offensionis & petra scandali: Euangelium illis mera stultitia, mera hæresis, mera in Deum blasphemia esse videtur. Ergo facilè impingunt, citò offenduntur, oderuntque illud ac omne ei adhærentes cane peius & angue. Ac quando illos oderunt, addunt etiam vincula, carceres, direptiones bonorum, atque ipsam adeò mortem. Sed dixerit quispiam: Quis fit, vt ita homines huiusmodi Christum, doctrinamque; Euangelicam persequantur, quæ tamen Christus peccatum non fecerit, nec inuentus sit dolus in ore eius: quumque; Euangelium nil nisi meram sanctitatem, pietatem, innocentiam doceat? Respon. Duo præsertim sunt, quibus adeò offenduntur: prius est, quòd Euangelium omnes, quantumvis etiam coram Mundo sanctos, impios profum & peccatores pronunciat: alterum est, quòd docet,

nulli patere cœlestis regni aditū, nisi per solum illū Iesum Christum crucifixum, & hunc vnū esse oportere nostram iustitiam, sanctitatem, & sapientiam. Nam sic suam probitatem damnari, & vnus crucifixi iustitiam ad cœlos tolli, non possunt ferre carnales iustitiarj. Hinc videmus etiam, quò illi coram mundo sunt probiores, sapientiores, doctiores, hoc eos infensiores esse cū Christo tum Euangelio. Docemur hīc igitur: primò, omnes homines ante regenerationē esse Christi hostes & pietatis insectatores; deinde omnes illos, qui etiamnum Euangelicam doctrinam, Christi que iustitiam persequuntur, adhuc versari in prima illa ac peccatrice generatione, necdum esse spiritu regeneratos, etiam si millies externè aqua tincti sint.

Iam quod attinet ad secundum nostræ propositionis membrum: nempe, quomodo homo regeneretur, habemus eius expressam imaginem in Paulo. Quo pacto autem is regeneratus est? testatur Lucas, ipsum appropinquantem iam Damasco repentè luce cœlitus demissa esse circumfulguratū, mox in terram cecidisse ac audiuisse vocem Iesu sibi loquentem, deinde ductum Damascū ab Anania iussu Domini baptizatum esse. Vide, hoc modo omnes etiam, quotquot electi sunt, regenerantur. Primò omnium luce interna circumdat illorum corda Dominus, vt in sui cognitionem adducantur, videant que in qua versentur peccatorum caligine ac damnatione, incipiant que displicere sibi. Hoc autem fit prædicatione legis, dum eam subinde animo internis suggestionibus proponit, inculcat, imprimit. Huiusmodi nimirum lucem sensit Dauid Psalm. 17. vbi sic dicit: Tu il luminans lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. Hanc & Paulus Ephesijs optavit,

nit, dum ita ait: Deus Domini nostri Iesu Christi pater det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius. Eph. i.

Deinde vbi hactenus illos Dominus suæ lucis circumfulsione perluxit, vt cum Paulo cadant in terram, hoc est, sese coram ipso deiciant ac damnent, fatentes se indigniores esse, quàm qui gratiam consequantur: tum statim suam ipsius vocem illis insinuat, sed vocem misericordiæ ac benignitatis, tum inquam ita illos perficit, vt & se & suam voluntatem possint certò cognoscere, atq; adeò sequi. Mox ablegat illos ad verbi ministros, vt ab his Christianæ professionis tesseram capiant, hoc est, baptizentur aqua & impleantur Spiritu sancto. Quicumque iam hunc ordinem in se verè experti sunt, ij verè sunt regenerati, verè conuersi, verè immutati. At quibus nondum illuxit lux cœlestis, qui nondum audierunt Christum, nondum impleti sunt Spiritu sancto, regeneratione adhuc carent.

Cæterum ad tertium quod attinet: nimirum, qualis fiat homo per regenerationem, & qualem post hanc sese declaret, id in Paulo itidem clarè conspiciamus. Qualis verò is factus est iam regeneratus? Testatur Euangelista, ipsum (simulatque baptizatus esset) adiunxisse sese discipulis Domini, qui Damasci erant, mox ingressum esse Synagogam, ac prædicasse Iesum esse Christum, filiumq; Dei. Ecce his notis omnes etiam, qui verè regenerati sunt, præditi inueniuntur. Vt enim per regenerationem mystici corporis Christi viua facti sunt membra, sic quoque statim & se membra fatentur & alijs adiungunt sese commembris. Vt item Iesum Christum suam agnoscunt iustitiam, sapientiam, sanctitatem, perfectio-

nen, salutem, ita & hunc vnum omnibus commendare cum primis annuntur. Quare ipsum, volente nolente mundo & huius sectatoribus, & liberè & publicè prædicant esse verum Messiam, verum vnetum Domini, verum pontificem æternum, verum seruatorem, Dei que viuentis filium, adeoque Deum ipsum. Sic autem non solum verbis prædicant ipsum, sed & vita inculcata professionem suam coram omnibus testantur. Matth. 5. 1. Pet. 3.

Amplifica.

Audistis iam sic satis dilucidè: primò, quales simus ante regenerationem; secundò, quomodo regeneremur: tertio ac vltimò, quales post regenerationem simus. Restat itaque nunc, vt quemadmodum omnes in regeneratorum, conuersorumque numero nos esse censemus, sic quoque ex fructibus tum doctrine tum vitæ declaremus, nos verè esse regenitos.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

Anno 48.

IN LECTIONE hac audiistis iam luculenter simul & ad longum totam historiam conuersionis Pauli nostri. Quò verò doctrinam & constantem & salutarem inde haurire omnes possimus, in tria præcipua eam partiemur. Primum erit, qualis fuerit Paulus ante conuersionem: secundum erit, quo nam modo ille sit conuersus: tertium ac postremum erit, qualis post conuersionem factus sit. Dum autem nos hæc tria ordine ad omnium nostrum doctrinam proficuemur, vos sedulò animum aduertite.

Principiò, ad primum quod attinet, qualis nempe ante conuersionem D. Paulus fuerit: testatur Lucas, spirasse illum minas ac cædem aduersus discipulos Domini, eoque ad capiendos vinciendosque hos petijse præfer-

præsertim Damascum. Immo ipsemet testatur etiã Acto. 26. se multos sanctorum carceribus inclusisse, puniisse eos, compulisse blasphemare, detulisseque sententiam, quum occiderentur. Iam omnes admiramur, quòd adeò potuerit odisse nomen Iesu Nazareni, quòd sanguinem credentium adeò sitiuerit. Verùm tales & nos omnes ante conuersione fuimus, immò & hodie pleriq; nostrum sic affecti sunt, ijque Christiani. Sunt enim non pauci, qui quiduis potius credant & admittant, quàm per solum Iesum, perq; fidem in hunc salutem omnem & vitam æternam contingere. Et si autem verbis id maximè testantur, ipsis tamen factis negant. Nam si isthuc crederent ex animo, non opem & auxilium quærent apud creaturas, non suis meritis & operibus fiderent, non adeò ad nomen encomiumque Iesu horrerent demitterentque caput, vti in plerisque iam videmus. Indetum venit, vt omnes illos oderint & insectentur, qui cum Petro dicunt, non aliud esse nomen datum hominibus in quo saluari nos oporteat, quàm in solo nomine Iesu. Quicumq; igitur nostrum sic adhuc erga Iesum & glorie eius vindicatores sunt affecti, ij certò sciant, etiamsi vel millies baptizati sint Christianiq; dicantur, se tamen veræ conuersionis etiamdum esse extorres, eoque non esse Christianos sed Antichristianos, non credentes sed idololatrias & supersticiosos, non populum Dei sed captiuos Sathanæ.

Iam verò, quod spectat ad secundum, quo nimirum pacto Paulus conuersus sit, testis est Lucas, illum appropinquantem iam Damasco circumfulguratum esse luce de cælo, collapsumq; in terram audiuisse vocem Domini Iesu impropertem ei persecutionem factam, tremementemq; & stupetem interrogasse Dominum, quid se vellet facere: porro comites iti-

tes itineris eius, audiuisse quidem vocem, neminem tamen vidisse, &c. Hic impletum cernimus, quod dicit Dominus Ioan. 3. Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis tamen, unde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Paulus subito conuersus est, factusque est ex lupo truculentus ovis mansuetissima, ex persecutore discipulus. Atque hanc conuersionem audierunt quidem comites, sed non potuerunt videre. Sic nimirum & omnis conuersio fit. In summo malitiæ feruore conuertitur, cuiusque contingit conuersio: idque hac de causa, ne putet suis meritis conuerti, vt gratiam Dei gratuitam agnoscere discat. In conuersione autem circumfulget lux de cælo & auditur vox Iesu, hoc est, cor illuminatur, vt agnoscat hominem suam impietatem & commerita supplicia, eoque se humiliet, horroreque & tremore cingatur: mox verò insonat vox Euangelij, vt rursus erigatur & consolationem accipiat terrefacta conscientia. Quare quotiescunque in nobis huiusmodi pavor & consolatio sentitur, sciemus certò, conuersionem in nobis fieri. Alioqui certum est, à conuersione vera nos esse remotissimos adhuc. Atque hanc conuersionem iugiter petere à Deo debemus, dicentes cum Hieremia: Castigasti me, & castigatus sum quasi vitulus non instructus: conuerte me, & conuertar, quoniam tu es Dominus Deus meus. Postquam enim tu me conuertisti, egi penitentiam, & postquam tu mihi ostendisti, percussi fœmur meum. Hierem. 31.

Cæterum, quantum tertium ac postremum concernit, qualis videlicet Paulus post conuersionem sit factus: audiimus ex Luca, illum organum electum Domini factum esse, quumque esset baptizatus & visum recepisset, prædicasse publicè in Synagogis Iesum.

sum, quòd is esset filius Dei & Christus. Ita post con-
uersionem electus declaratus est, qui antè reprobatus
videbatur: sic factus est prædicator eius, quem
antè ex animo oderat: sic eorum factus est charissimus
frater, quorum antea erat persecutor & pro-
ditor. Ad hunc verò modum & omnes verè conuersi
se habent. Quemadmodum ante conuersionem egrè
ferebant, quòd Iesu & fidei in ipsum omnis salus tri-
bueretur: ita post conuersionem Christi gloriam &
fidei encomium omnibus modis vrgent. Quemad-
modum antè suis ipsorum meritis & operibus alijs-
quæ creaturis fidebant: ita nunc solius Iesu meritis &
iustitia nituntur. Immò hac de causa parati sunt om-
nia & facere & pati. Si ergo & nos verè conuersi vi-
deri volumus, vni Iesu omnem salutem, gratiam,
beatitudinem acceptam feramus oportet: huic vni
& viuamus & moriamur necesse est. Audiamus quæ-
so, quid Paulus noster, conuersus iam, dicat, Phil. 3.
Si quisquam (inquit) videtur fiduciam habere in car-
ne, ego magis habeo, circumcisis octauo die, Israël
ex genere, tribus Benjamin, Hebræus ex Hebræis, iux-
ta legem pharisæus, iuxta studium persequens Ec-
clesiam: iuxta legis iustitiam, factus irreprehensibi-
lis. Sed quæ mihi erant lucra, ea arbitratus sum pro-
pter Christum damnum esse. Quin etiam arbitror
omnia damnum esse propter excellentiam cogni-
tionis Christi Iesu Domini mei, propter quem om-
nia pro damnis duxi, habeo quæ pro reiectamentis,
vt Christum lucrifaciam, vt quæ reperiar in illo, non
habens meam iustitiam in lege, sed iustitiam per fi-
dem Christi. Ita & nos pro damnis & stercoreibus
habeamus omnia, generis nobilitatem, titulos ho-
noris, propria merita & opera. Huc verò enita-
mur vnicè, vt Christum cognoscamus, illum lucrifa-
ciamus.

134 IN FESTO CONV. PAULI
ciamus, illum induamus, illius iustitiam habeamus.

IN EANDEM CONCIO

TERTIA.

Anno 52.

Hodie Ecclesia annuam agit memoriam con-
uersionis D. Pauli, gloriosi illius luminis om-
nium Ecclesiarum. Conuenientissimè ergo Lectio
præsens nobis nuñc proponitur, vt in qua tota histo-
ria atque adeò omnes circumstantiæ conuersionis
eius luculentissimè comprehendantur. Hanc verò
eandem per totum ac ad longum persequi, non hu-
ius est temporis. Nos saltem præcipua, quæ præfer-
tim ad doctrinam, hortationemque nostram magis
faciunt, paucis attingemus.

Principiò itaque audiuius, quonam tempore
& in quo proposito Saulus (seu Paulus noster) con-
uersus sit, nimirum tum, quum spiraret adhuc ni-
nas ac cædem aduersus Christianos, adeoq; Dama-
scum iam cum Epistolis proficisceretur ad ducendū
inde vincos credentes in Hierusalem. Hic videmus,
in malo admodum proposito illum fuisse, quum
conuerteretur: ideoque æterna potius fuisse damna-
tione dignum, quàm conuersione seu gratia. Nam
credentes & pios persequi, ipsum Christum persequi
est: quemadmodum & Dominus in ipsa conuersione
ad Saulum dixit: *Saul, Saul, quid me persequeris?* Qui
persequitur autem Christum, iræ diuinæ & mortis
æternæ obnoxius est. Quid igitur hic dicemus? Hoc
nempe, quòd conuerterit, iustificaritque illum Chri-
stus, non secundum opera aut merita eius, sed secun-
dum propositum & gratiam gratuitam.

Atque hoc pacto non ipse modò Paulus conuer-
sus est, sed & omnes æquè quotquot vel cõuersi sunt
vel conuertuntur vel adhuc conuertentur: vt tota
videli-

videlicet testatur scriptura, & Paulus pòst in omnibus suis Epistolis clamauit. Rom. 5. 11. Ephes. 1. 2. Tim. 1. Tit. 3. Dicendum ergo hîc est & omnibus & singulis: Gratia Dei id sum, quod sum. 1. Corinth. 15. ideoq̄ue quicumque gloriatur, non in se, sed in solo Domino gloriatur. 1. Corinth. 1. 2. Corinth. 10.

Sed audiamus iam secundò, vbinám & quomodo conuersus sit Saulus. Quum appropinquaret Damasco, subitò lux de cœlo circumfulgurauit illum, lapsusq̄ue in terram audiuit: *Saul Saul, quid me persequeris? Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi calcitrare contra stimulum.* Hîc videmus quonám modo vniuscuiusq̄ hominis conuersio seu iustificatio incipiat. Quemcunq̄ videlicet iustificare vult Dominus, eum omnium primò sua gratia præuenit ac inuitat ad veteris seu prioris vitæ pœnitentiam: atq̄; hæc præueniens gratia, primus iustificationis gradus est. Vtitur autem hîc varijs modis, aliquando nimirum prædicatione verbi, aliquando morbis seu infortunio immisso, aliquando miraculis siue alijs plagis insolitis, sed semper addita interna inspiratione.

Quum ergo & Saulum iustificare vellet, subitò eum cœlestis lucis circumfulguratione prostrauit in terram, simulq̄; interna gratia cor eius tetigit, vt inciperet sentire iam, quàm nimis peccasset enormiter, ac quid commeruisset meritò.

Quemadmodum verò Saulum prostrauit Dominus externè, sic & conscientiam eius prostrauit, perterrefecitq̄; internè, immò sic omnes quoq̄; iustificandos exterret: idq̄ue non ob aliud, quàm vt (cognita sua indignitate & commerita pœna) pòst gratiam ipsius, & profundius agnoscant, & ardentius per omnem vitam collaudent. Vnde nimirum & Saulus postea se minimum Apostolorum professus est, gra-

est, gratiaque Dei se esse dixit quicquid esset. 1. Corinth. 15. 1. Timoth. 1.

Audiuimus igitur haec hactenus breuiter, quomodo iustificandos sua gratia Deus praueuiat: sed audiamus vicissim, quid praueuentis faciendum interim sit. Saulus quidem, simulatque prostratus esset & Domini audisset verba increpatoria, respondit euestigiò tremebundus: *Domine, quid me vis facere?* Quo quidem responso vocanti Christo & praueuenti eius gratiae ex libero arbitrio statim assentitus est.

Vnde videmus, non excludi à primo huiusmodi iustificationis gradu liberum hominis arbitrium, sed requiri hoc ipsum in omnibus iustificandis, verum eatenus, non vt iustificationem mereantur, sed ne oblatam gratiam volens respuat, vtque assentiat, & acquiescat vocanti Deo. Si ergo & nos hodie vocem Domini audierimus, caueamus ne obduremus corda nostra: ne nobis quoque dicatur: *Quoties volui vos congregare, & noluistis: quin dicamus omnes cum Paulo, Domine, quid me vis facere?*

Cæterum audiamus iam, eequomodo secundus iustificationis gradus (qui nempe ipsa iustificatio praueuenti hominis est) in Saulo absolutus sit, & in omnibus iustificandis perficiatur. Primò quidem (quum ille iuxta Domini præceptum Damascum venisset) per tres continuos dies & ieiunauit & orauit, quod sanè humilis quædam præparatio fuit ad iustificationem. Deinde verò per Ananiz ad hoc à Domino destinati ministerium baptizatus est, impletusque mox Spiritu sancto: atque hinc nempe iustificationem est consequutus, idque citra operam liberi arbitrij, sola Christi gratia. Est igitur & sit iustificatio iustificandis omnibus per Spiritum sanctum, per quem infunditur cordibus illorum & fides & cha-
ritas

ritas Dei, hocque totum Dei est, non nostri liberi arbitrij. Quo illud scilicet Pauli cum primis pertinet: Gratia estis seruati per fidem, idque non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Eph. 2. Audiamus verò nunc & de tertio iustificatio- nis gradu, quo nimirum cooperatur iustificatus Deo in se operanti. Simulatq; iustificatus esset Saulus seu Paulus, continuò adiunxit sese discipulis, deinde mox in Synagogis prædicauit, quòd Iesus esset Christus filius Dei. Hæc fuerunt prima eius opera, qua e- gregiè Deo operanti cooperari cœpit: charitas nempe erga credentes, & studium propagandi regni Dei: Quæ autem præterea addidit, & ex ipsius Epistolis & ex Actibus colligere licet. Quò scilicet spectat, ubi dicit: Gratia Dei in me non fuit inanis, sed copiosius omnibus illis laboraui: non ego tamen, sed gratia Dei mecum. 1. Corinth. 15. Oportet igitur & nos, qui itidem per Christi gratiam sumus iustificati, cooperari operanti in nobis Deo, vt videlicet regeneratio- nis nostri fini respondeamus. Ephes. 2. & ne gratiam Dei receperimus in vacuum. 2. Cor. 6. Agite itaque auditores optimi, imitemur Paulum nostrum, respondeamus vocationi nostræ, salutemque nostram cum metu & tremore operemur, quò sic & quartum iustificationis gradum consequamur, hoc est, vitam æternam.

IN FESTO CONVERSIONIS

PAVLI, IN EVANGELIUM

CONCIO PRIMA.

*Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia,
& secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus au-
tem, etc. Matth. XIX.*

kkk

Facie

Habita an
no 45.

Facit temporis residui penuria, vt huius Euangelij explicationem breuiter absoluere cogamur. Quamobrem omnibus ambagibus reſectis, duo præfertim iam tractabimus. Prius erit, quomodo Christiano propter Christum relinquenda ſint omnia: alterum erit, quid præmij is pro relictione huiusmodi laturus ſit: vos verò auditores optimi veſtro fungamini probè officio.

Ad prius igitur quod attinet, ſciendum eſt, Christianum ſua omnia relinquere oportere modis duobus: primò, animo, deinde corpore. Animo quidè, vt cor ſuis non apponat, non ijs nitatur, non in ea ſpem figat, ſed (iuxta Apoſtoli conſilium 1. Cor. 7.) ſi habeat parentes, vxorem & cognatos, ſit quaſi illos nò habeat: ſi habeat domos, agros, vineas, diuitias, ſit tanquàm non habens: ſi habeat eruditionè, ſapientiam, iuſtitiam, potentiam, honores, ſit quaſi ijs omninò careat: In ſumma, ſi vtatur hoc mūdo, ſit quaſi non vtatur. Sic nimirum Paulus noſter (vt de ceteris Apoſtolis taceam) ſua propter Chriſtū reliquit omnia, què admodum ipſe ingenuè teſtatur ad Phil. 3. Si quis (inquiens) alius videtur conſidere in carne, ego magis: vtpote circumciſus octauo die, ex genere Iſrael, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem phariſæus, ſecundum emulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundū iuſtitia quæ in lege eſt conuerſatus ſine querela. Sed quæ mihi fuerunt luera, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Quinetiam exiſtimo omnia detrimenta eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti domini mei: propter quem omnia detrimentum feci & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum Iucrifaciam.

Cæterum corpore ſua Christiano relinquenda ſunt, vt quoties gloria Dei id exigit, quando manda

tum Christi vrget, relinquat corporaliter pareres, cognatos, amicos, vxorē, liberos, possessiōes, honores, professionē, immō semetipsum etiā, vt Christū suū sequatur, vt huius voluntati satisfaciāt. Ad hāc relictionem peculiariter pertinet, quod dicit in hodierno Euangelio Petrus: *Ecce (inquiens) nos reliquimus omnia, & sequimur te, &c.* Verūque verò difficillimum est, carni præsertim. Nam quis lubens ab amantissimis parentibus, à dulcissima vxore, à cognatis & amicis, ab opibus suis, ab honorib⁹ & dignitatibus, sese auelli sinet? Atq; etiā si hęc omnia corpore relinquat, tamē relinquere simul & animo longè est profectò difficillimum. Verū quod difficilius, hoc pulchri⁹: quę enim pulchra, difficilia sunt.

Iam quod attinet ad alterum, sciendum erit, vt relictio huiusmodi dupliciter fit, & corpore nimirū & animo, sic duplex quoq; præmium pro ea christiana manere: nempe temporale & æternū. Sic enim dicit Dñs: Amen dico vobis, quòd vos, qui sequuti estis me in regeneratione, quū sederit filius hominīs in sede maiestatis suę, sedebitis & vos sup sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, vt patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Quis non libens scenerari velit? quis non cupiat ditescere? quis nō æternū viuere, nunquam mori desideret? Atqui nemo verè scenerabitur, verè ditescet, verè viuert, nisi antè hoc pacto & se & omnia sua deseruerit. Quis quæso potest scenerari, nisi qui sua bona alijs committit, ac seipsū ijs exuit? Quis potest ditescere, nisi qui sese antè multis periculis exponit? Quis potest vitam seruare, nisi qui amarissima catapotia deuorauit? Si igitur

tur cupimus verè scenerari, exuamus nos bonis nostris: si expetimus ditescere, exponamus nos periculo propter Christū: si desideramus verè viuere, mundo & nobis viuere desinamus.

Amplifica, repete, & hortare.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

Anno 48.

In Lektionis explicatione bis terūe diximus, non esse fidendum proprijs meritis & iustitijs, sed vni Iesu Christo salutis omnis auctori. Hinc verò colligunt statim peruersi quidam: Si proprijs meritis & iustitijs non debemus fidere, frustranea & superuacanea sunt bona opera: & si solius Christi gratia ac iustitia saluamur, falsa est scriptura, utpote quæ bonorum operum præmia passim commemoret. Sic inquam nonnulli peruersi colligunt. Verum nos contrarium dicimus: nempe, & bona opera modis omnibus esse facienda, & ea sua habitura præmia. Fiducia duntaxat prohibetur, non ipsa bona opera. Et sunt bona habitura opera sua præmia certo certiùs: at non ex debito, sed ex promisso. Hoc vel præsens Euangelium abundè satis testatur. In eo enim Dominus cum Apostolis & prædicatoribus se sequutis iudiciariam potestatem, tum omnibus promiscuè propter se & Euangelium sua relinquentibus centupla præmia vitamq; eternam pollicitus est. Ille ipsissima est veritas, quæ ergo præmia bonis operibus promittit, eadem & refundet. Quod promissionē ipsius attinget, nullum bonum opus suo cariturū est præmio.

Cæterum si ex meritis metienda essent bonorum operum præmia, si ex debito exigenda veniret, actum profectò de omnibus nostris bonis operibus esset. Quid quæso reliquit Petrus vnà cum alijs Apostolis?

Scaphant

Scapham & detrita retia. In quo Apostoli Dominum sequuti sunt: in nuditate & paupertate. Sed quātum hoc: nudi & pauperes erant, parum igitur erat, quòd paululum reliquerant & nudi nudum sequerentur. Atq; hoc qualecunq; beneficium satis iam tum illis copiose refuderat Seruator. Nam ab eo tēpore, quo sequi illum cōpissent, neq; vestes illis deerant neq; alimenta. Luc. 22. Quis iam euincet, illos ex debito & merito futuros olim vnà cum Christo iudices duodecim tribuū Israelitarum? nemo profectò. Quicquid prēmiorum illis contigit, quicquid dignitatis porrò continget, mera est Domini benedictio, gratuita est promissio. Quid verò censemus de alijs? Quātum quæso in se est, relinquere propter nomen Iesu, domos, fratres, sorores, patrem, matrem, uxorem, filios aut agros? Multi ea relinquūt & relinquere etiam coguntur, qui nihil tamen referant prēmij. Sed hi (inquis) aut ex malitia aut inuiti relinquunt, non autem propter Dominum. Bene, non est igitur magnum per se, propter Dominum relinquere, quē admodum omninò relinquendum est. Sed dicet quispiam: Animi promptitudinem respicit Dominus. Bene habet: at nemo hanc habere potest, nisi ipse Dominus dederit. Immo nemo ne cogitare quidem, quantò minus dicere aut facere quippiam potest, nisi ille dederit. Quocunque igitur respiciamus, non sunt tanta opera nostra, vt prēmiorum magnitudini respondeat. Ipsa opera imperfecta sunt, prēmia autem sunt perfecta: opera exigua sunt, prēmia autem sunt ingentia & multa: opera peritura sunt & momentanea, prēmia verò æterna.

Prēmia ergo opera nostra bona sequentur, sed ex gratia, ex promisso. Pollicitus autem est Dominus prēmia bonis nostris operibus hanc ob causam: pri-

mò, vt inde summam eius erga nos liberalitatem vis deamus: deinde, vt audita mentione præmiorũ, alacrius ad bona opera accingamur. Ne itaq; fidamus vnquam operibus nostris, verũm nihilo segnĩus faciamus bona opera, atq; vt alacres simus, perpendamus & accepta beneficia & manentia præmia.

IN IDEM CONCIO

TERTIA.

ANNO 58.

DVo præsertim hoc in Euangelio nobis proponuntur: alterum est, quid nos facere deceat: alterum autem est, quæ nos maneat merces, si quod nos decet faciamus. Prius ex verbis Petri docemur: posterius verò ex Christi verbis colligere clarè licebit. Cæterum de vtroque agemus & sigillatim & ordine,

Principiò itaque quod prius attinet, sic ait D. Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Hic audiuius, Apostolos reliquisse omnia, & sequutos esse Iesum. Hoc ergo vtrunq; & nos facere decet, si quidem Christianæ nostræ professioni respondere velimus. Primò inquam omnia nos relinquere oportet, parentes, coniugem, liberos, cognatos, affines, opes, adeoq; & nosmetipsos. Quando autem & quomodo hoc ipsum fieri debeat, satis luculèter colligere est ex verbis Domini Matth. 10. vbi sic inquit: Qui amauerit patrem aut matrem supra me, non est me dignus: & qui amauerit filium aut filiam supra me, non est me dignus: & qui non accipit crucem suam, ac sequitur me, non est me dignus: & ex parabolico illo sermone Matth. 18. vbi ita ait Dominus: Quòd si manus tua, vel pes tuus obstaculo est tibi, abscinde eum, & projice abs te: melius enim tibi est, ad vitam ingredi claudum aut muti-

mutilum, quàm duas manus vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus offendit te, erue eum, & projice abs te: bonum enim est tibi, ut luscus intres in vitam, quàm ut duos oculos habens mittaris in gehennam ignis.

Sic igitur relinquere omnia debemus, ne ea præferamus Christo & salutis nostræ negotio. Et tunc quidem relinquere omnia debemus, quando nos à Christo auocare volunt, aut quando salutis nostræ cursum impediunt. Alioqui minimè relinquēdi sunt parentes, coniuges, liberi, cognati, affines: minimè quoque reiiciendæ sunt opes aut possessiones. Sed dixerit quispiam: quomodo verò nosmetipsos debemus relinquere aut abnegare? Id sanè fiet primò, ut carnis nostræ prauas affectiones & cohibeamus & crucifigamus: secundò, ut vitam nostram propter Christum perdere non grauemur: tertio, ne quid nobis boni tribuamus, ne fidamus meritis nostris, sed semper inutiles seruos agnoscamus.

Huius nimirum insigne habemus exemplum in Paulo nostro, Ephes. Philipp. inquam 3. vbi sic dicit: Si quisquam alius videtur fiduciam habere in carne, ego magis habeo. circumcisis octauo die, Israel ex genere, tribus Benjamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta legem Pharisæus, iuxta studium persequens Ecclesiam, iuxta iustitiam quæ in lege est, factus irreprehensibilis. Sed quæ mihi erant lucra, ea arbitratus sum propter Christum damnatum esse. Quinetiam arbitror omnia damnatum esse propter excellētiam cognitionis Christi Iesu Domini mei, propter quæ omnia pro damnis duxi, habeoq; pro reiectamentis, ut Christum lucrifaciam, utq; reperiar in illo non habens meam iustitiam ex lege, sed quæ est per fidem Christi. En, sic & nos relinquere nosmetipsos debe-

mus, reijcere dignitatem nostrę iustitię, & solo Christo niti, huncque thesaurum nobilem lucrifacere.

Cæterum hęc videndum etiam nobis est, vt Christum probę sequamur, hoc est, ante omnia gloriam Dei quæramus, omnibus beneficiamus, innocenter viuamus, & in afflictionibus patientes, lóganimesq; simus. Nam in hisce nos Christus absolutissimę præcessit. Ioan. 8. Acto. 13. 1. Pet. 2.

Porro, quod ad posterius spectat, sic respódit Dominus Iesus: *Amen dico vobis, quod vos qui sequenti estis me, in regeneratione, quum sederit filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam hereditabit.* Hęc audimus, relinquētes omnia & sequētes Iesum sessuros super sedes duodecim, centuplum accepturos, & vitę æternę sortituros hæreditatem. Hęc igitur erit merces nostra, si faciamus quod nos decet, si propter Christum omnia relinquimus & sequimur ipsum, sedebimus & iudicabimus, hoc est, efficiemur diuinę consortes nature, similes Deo erimus. 2. Pet. 11. Ioan. 3.

Centuplum accipiemus, nempe pro domibus terrenis cœlestem paradysum, pro cognatis ciues sanctorum & angelos, pro coniuge vniuersam Ecclesiam, pro agris & opibus sempiternas delicias, pro vita denique temporali vitam æternam.

Sed hęc quæstio oritur, num nostra opera tanta mercede digna sint. Eam verò his verbis Paulus breuiter soluit: *Nō sunt condignę passiones huius temporis ad futurā gloriam, quę reuelabitur in nobis.* Rom. 8. Vide, non sunt digna mercede tanta, sed ex sola gratia tantam mercedem illis Christus tribuit.

Vnde &

Vnde & apertè apostolus Rom. 6. vitam æternam donum Dei vocat. Tantò ergo magis debemus facere, quod nos decet. Verùm rursus alia oboritur quaestio, An non scilicet possimus meritis & operibus nostris fidere. Certè per se, minimè: nam omnes iustitiæ nostræ coram Deo immundæ sunt. At eatenus possumus illis fidere, quatenus confidimus ea placere Deo & remunerari ab ipso propter Christum: in qua tamen confidentia non tam nostris meritis, quàm meritis Christi (quorum respectu nostra aliquid valent) fidere debemus.

FERIIS PURIFICATIONIS MARIE,
IN EPISTOLAM CONCILIO PRIMA.

Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mitto angelum meum, &c. Malach. III.

Inter omnes Dei omnipotentis de Christo seu Messia per Prophetarum ora promulgatas promissiones, omnium quidem postremum hoc vaticinium est, verùm certè neutiquam est minimum. Nam quatuor præsertim in eo habemus, quæ plurimum faciunt ad fidei nostræ Christianæ certitudinem, primò scilicet, quando & quò venturus esset Messias: secundo autem, qualis is futurus esset: tertio verò, à quibus veniret agnoscendus: ceterùm quarto ac ultimo, quid facturus esset. E quibus nimirum quatuor & hoc interim deprehendemus, quæ Lectio hæc hodie præsertim in Ecclesia legatur. Dum autem nos de hisce quatuor breuiter dicturi sumus, vos quàm sedulo animaduertite. Principiò quidem, quod primùm attinet, sic (audistis) inquit Dominus: *Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit is viam meam ante, &c.* Hic audimus, tum statim venturum Messiam, quando

venisset angelus Domini Messiaë præcursor. At Ioannes Baptista is angelus & præcursor verè fuit, vti factis cõstat ex verbis angeli ad Zacchariã, & proprio etiam ipsius Ioannis testimonio. Luc. i. Ioan. i. Nam hic missus erat à Deo, vt præpararet viam Domini, pararetq; Domino plebem perfectam. Consequitur ergo, Messiam seu Christũ statim Ioannem sequi oportuisse, eiusq; ad eò tempore certò aduenire. Verũ Dominus noster Iesus statim Ioannem sequutus est, idq; & in conceptione & in natiuitate & in prædicatione & in morte. Consecrarium igitur erit, hunc verè Messiam esse, quemadmodum sanè & à Ioãne pro Messia & agnitus est & de prædicatus. Sed quõnam statim venire debebat Messias? Ad templum sanctũ suum, inquit Dominus. Hoc verò & in Domino Iesu completum verè est, vti hodiernum Euangelium testabitur. Nam quadragesimo die à natiuitate sua ad templum Domini in Hierusalem à parentibus delatus est, ibiq; Domino præsentatus, ne dicam interim de alijs temporibus, quibus ipsemet templum adiit, ibiq; docuit quotidie ferè. Cõsequitur igitur etiam hinc, Iesum nostrum verè Messiam esse.

Iam, quod ad secundum spectat, qualis nempe Messias esset futurus, audiuius in superioribus, illum fore dominatorem & angelum testamenti. Vnde nimirum clarè colligitur, Messiam & Deum & hominem fore. Nam dominatorem esse, diuinitatis est: angelum verò testamenti, humanitatis. At talis Dominus Iesus verè fuit, verus nimirũ Deus & verus homo: vti scriptura passim testatur, & ex Simeonis etiam elogio apertissimè constabit. Dominator quidè est, quia Dominus est omnium, habens potestatem omnem & in cœlo & in terra, iudex viuorum & mortuorum, splendor paternæ gloriæ, expressa imago sub-

substantiæ Dei, moderans omnia verbo potentiaæ suæ. Acto. 10. Matth. 11. & 28. Ioan 5. Heb. I. Angelus verò testamenti est, quia è cælo à Patre in terras per assumptam humanitatem est missus, reconciliator-que & mediator factus est Dei & hominū, pacificans per suum sanguinem & quæ in cælis & quæ in terris sunt. Ioan. 5. 1. Timoth. 2. Ephes. 2. Euincitur itaq; & hinc, Iesum nostrum verè Messiam esse.

Cæterùm quod ad tertium pertinet, à quibus videlicet agnoscendus esset Messias, ad hunc modum Dominus inquit: *Ecce veniet, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius?* Ex his verbis clarè admodum colligere possumus, Messiam à quàm paucissimis agnoscèdum fore, per paucissimos temporis aduentus eius habituros rationem. Sed idem in Domino etiam Iesu impletū est, vel hodierno Euangelio teste. Nā infans inductus in templū Hierosolymis, à nemine ferè ibi agnitus est, nisi à Simeone sene & Hanna vidua, immò clarus etiam iam doctrina & miraculis, à paucissimis tamè pro Messia est habitus: vnde & Ioan. ait cap. 1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eū non receperunt. Reluctet ergo & hic, verè Messiam esse Iesum nostrum.

Porro quartam quod concernit, quid nempe facturus esset Messias, sic Dominus inquit: *Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fullonum, & sedebit conflans ac emundans argentū, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, argentumq; & sacrificabunt Domino in iustitia, & placebit Domino sacrificium Iudæ & Hierusalem, sicut in diebus antiquis.* Ex his verbis intelligi datur, Messiam cultū Dei, hoc est, doctrinā, sacrificia, & vitæ innocentiam repurgaturum, restitutumq;. At quis Dei cultum, omniaque collapsa
tam

tam absolute vnquam restituit, atque noster Iesus? Is enim sanctam Legem Dei à traditionum humanarum fecerit; verè purgavit: is quoq; verum sacrificandi modum, ab omni repurgatū hypocrisis, ac spiritu & veritate constantem, vobis tradidit: is deniq; veræ innocentia semetipsum nobis proposuit exemplum, adeoq; & impios per sanguinis sui purgationem vera innocentia ac iustitia donavit. Et sanè per huncvnum placent sacrificia nostra, cultusque Deo, alioqui per se immunda & imperfecta: nō enim est in alio quopiam salus. Acto. 4. & in hoc filio sibi complacet Pater cœlestis.

Quum itaq; vndiquaq; certificemur, Iesum verè Messiam esse: agitè, in huius agnitione & maneamus & progrediamur, ipsi tanquam Dominatori obediamus, seruiamusq; ipso tanquam Angelo testamenti fidamus, amoreq; adhæreamus, iuxta ipsius præscriptum & doctrinam & vitam nostram instituamus, vt sic sacrificia nostra verè Deo sint grata.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

ANNO 49. **I**n signis Prophetia de Messia seu Christo, hoc est, æterno & Sacerdote & Rege hac in Lectione continetur. Etsi autem ea iam pridem verè perfectissimeq; in Domino ac seruatore nostro Iesu impleta est, vt & alia vaticinia omnia, nihilo tamen minus obseruari expendiq; à nobis debet: idq; cū, vt fidem nostram inde confirmemus: tum etiam, vt fidei aduersarios (Iudæos nempe & Turcas) erroris impietatisq; conuincamus. Cæterum tria præsertim sunt, quæ in illa nobis de ipso Messia proponuntur. Primum est, tempus aduentus eius: secundum autem est, personæ eius qualitas: tertium verò ac postremum est, illius officium

ficium seu opus. De his ordine dicemus breuiter simul & luculenter. Vos interim Auditores Christiani & aureis & animos arrigite.

Primò quidem, quod ad ipsum tempus aduenturæ Messie attinet: audiuius ex lectionis huius verbis, Dominum Deum missurum Angelum suum ad præparandam suam viam ante se, & tum statim venturum ad templum Messiam. Iam opus est circumspicere, quis angelus ille (viæ Dominicæ præparator) fuerit. Is autem verè fuit Ioannes Baptista. Nam sic Angelus Domini Gabriel ad Zacchariam inquit: Eric magnus coram Domino, & vinum siceramq; non bibet. Et spiritu sancto replebitur iam inde ab utero matris suæ, multosq; filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum, vt paret Domino plebem perfectam. Luc. 1. Sic & Ioannes ipsemet ait: Ego vox clamantis in deserto, & Ioannes ipsemet ait: Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, & rectas facite semitas eius. Lucæ 3. Ioan. 1. Ita & Dominus Matth. 11. dicit: Certè dico vobis, Ioannes etiam excellentior est propheta. Hic est enim de quo scriptum est: *Ecce ego mitto angelum meum, qui præparaturus est viam tuam ante te.* Quum igitur Ioannes Baptista fuerit Angelus ille paræ viam Domini, certum est, eius tempore aduenturum statim Messiam. Sed noster Iesus statim Ioannē subsequutus est & natiuitate & prædicatione. Est enim conceptus sexto mense à Ioannis conceptu. Luc. 1. Et simul atq; Ioannes in vinculis esset, cœpit ipse prædicationem suam. Matt. 4. Indubitatisimum igitur est, vel à circumstantia hac temporis, ipsum & fuisse & esse à circumstantia hac temporis, ipsum & fuisse & esse Messiam, regem & sacerdotem æternum.

Deinde verò, quod ad qualitatem personæ Messie spectat: audiuius ex Lectione, fore illum Dominatorem & angelum testamenti, hoc est, Deum & hominem,

minem, seruatorem & reconciliatorem. Talis autem noster Iesus verè fuit: nam diuinitatem eius euicerunt miracula, & vox etiam patris testata est, Matthæ 3. humanitatem verò eius, & natiuitas & conuersatio & passio confirmauit clarissimè. Reuera ille angelus & mediator fuit testamenti, hoc est, foederis Dei cum patribus istis. Quemadmodum nanque Deus pactum inierat cum Abrahamo & semine eius, hoc est, illis promiserat, se eorum fore Deum, & eos suum populum, adeoq; semen mulieris & semen benedictum Abrahæ contritum Sathane caput, benedicturumq; omnes gentes: noster Iesus pactum hoc prædicatione sua Euangelica confirmauit, sanguinisque sui pretiosissimi effusione & spiritus sancti missione, veluti duobus sigillis fide dignissimis, corroborauit & stabiliiuit. Ergo certo certius est, ipsi Messiam & fuisse & esse verum Dominatorem & Testamenti angelum.

Porrò quod ad Messiae officium seu opus pertinet: ex Lectionis contextu accepimus, ipsum (veluti ignem conflatorium & herbam fullonum) emundaturum argentum, & purgaturum filios Leui ad offerendas in iustitia oblationes Deo acceptas. Hoc munus itidem in nostro Iesu inuenitur. Is enim verè emundauit argentum, hoc est, legem Dei, & genuinè eius sensum absolutissimè explicauit, purgauitq; ab omni scoria & fece humanarum traditionum ac somniorum pharisaicorum. Ipse item verè etiam purgauit filios Leui, hoc est, omnes credentes spirituales sacerdotes per sanguinis sui lotionem fecit, deditq; his spiritum sanctum, per quem offerant sacrificia iustitiæ, laudes, gratiarum actionem, misericordiam, pietatem. * Hæc aut à nostro Iesu verè esse facta, testatur abundè (præter alios) & Ioannes Baptista & Ioannes

Euangelista. Ille quidem Matth. 5. dum sic inquit: Cuius ventilabrum in manu ipsius, & repurgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Ille verò, Apocal. 1. dum sic ait: Iesus Christus est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terrarum, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, & fecit nos reges ac sacerdotes Deo & patri suo. Est itaque & hinc consecrarium, Iesum verè esse promissum illum Messiam. Maneamus ergo in nostra professione Christiana: quumque & nos per ipsum à peccatis nostris repurgati & colati simus, consecratiq; in reges & sacerdotes ad offerendum spirituales hostias, offeramus omnes illi laudis ac gratiarum actionis sacrificium, sed in primis oblationem iustitiarum: quò sic & ipsi tandem presentari illi mereamur in cœlesti templo. * Constat igitur hinc inuictissimè, ipsum & fuisse & esse verum Messiam, ignem constantem & herbam fullonum.

Ex concione habitæ anno 50.

Nunc reliquum est, vt ipsum agnoscamus Dominatorem & angelum testamenti, vt stemus ad videndum, vt per ipsum offeramus Deo sacrificia iustitiarum.

IN EANDEM CONCIO

TERTIA.

Hodiè Ecclesia anniuersariam recordationem *Anno 50.* agit presentationis Domini nostri Iesu Christi in templum Hierosolymitanum. Præsens autem Lectio habet inter cætera, vt audistis, Dominatorem Dominum (qui Messias est) venturum ad templum sanctum suum. Appositissimè ergo ea prælegitur nobis nunc, vt quæ hac parte in iam iam dicta Domini nostri (qui scilicet verè Dominator ille Dominus & fuit & est) presentatione seu oblatione impleta verè sit.

Cæte-

Cæterum non ob id solum competit Christo nostro, quod is (iuxta vaticinium huiusmodi) in templum Hierosolymis venerit: verum etiam, quod omnia alia (quæ à Malachia ea commemorantur) in ipsum vnicè quadrent ac in eo impleta sint: vt nimirum non possit esse dubium, quin ipse verè sit Dominator ille, de quo Propheta sit vaticinatus. Verum vt hoc omnibus nobis indubitatius adhuc fiat, præcipua vaticinij huius capita explicabimus breuiter. Vos interim Auditores optimi gnauiter animum aduertite.

Principio igitur dicit Malachias, venturum Messiam ad templum suum statim post aduentum angeli præcursoris. Is Angelus præcursor (vt vt ogganniant Iudæi) nemo alius aut fuit aut erit, præter Ioannem Baptistam, Matth. 1. Marc. 8. Dicitur autem Ioannes angelus seu nuncius Dei, ob angelicam, & doctrinam & conuersationem. Quod verò idem viam quoque Messia præparauerit, Euangelistæ affatini testantur. Marc. 1. Ioan. 1. Luc. 3. Iam nemo sequutus est hunc propius, atq; Dominus noster Christus: nepe conceptus, natus ac præsentatus sexto mense post illius conceptionem, natiuitatem & præsentationem: quod & ipse Ioannes post apertissimè testatus est, dum sic de Iesu dixit: Hic est de quo dicebam: Post me venit vir, qui me antecessit, quia prior me erat. Ioan. 1.

Consequitur itaque hinc, Iesum illum nostrum verè & fuisse & esse Dominatorem, Dominum seu Messiam.

Secundo autem dicit Malachias, fore Messiam Dominatorem ac angelum testamenti: quo nimirum innuit, fore illum bifariæ naturæ, verum scilicet Deum & verum hominem. Etsi iam Iudæi cupiant diuinitatem adimerè Messia, vt vbique, ita & hic: dicentes scilicet, vocari illum hic Adon, quo nomine om-

nis etiam in mundo dominator seu dominus appellari possit: nihil tamen efficiunt. Nam aliud adhuc habemus in vaticinio hoc, vnde illius diuinitas queat euinci: nimirum inde, quòd expresse à Propheta dicitur, venturū illum ad templum sanctum suum: nemo enim hominum, ne ipse quidem Salomon, poterat templum Hierosolymitanum vocare suum templum: sed hoc solius Dei erat. Hiere. 7. & Esaiæ 44. Futurus igitur erat Messias verè Deus, non solum homo.

Vt autem iuxta diuinitatem, verus Deus futurus erat: ita secundum humanitatem, Angelus testamenti, hoc est, erector, mediatorque noui ac sempiterni fœderis, reconciliationis uè Deum inter & homines erat futurus.

Iam certissimi sumus nos, nostrum Christum verè esse & Deum & hominem, nouique testamenti in sanguine suo reconciliatorem. Heb. 9. Verè itaque & fuit & est is Dominator ac angelus testamenti, quæ (iuxta Malach. testimonium) ad templum sanctum suum venturus erat. Non est verò parui ducendum, quòd tam signatè templi hîc fiat mentio. Nam inde colligere est, venturum Messiam tum, dum staret ad huc templū Hierosolymitanum à Zorobabele ædificatum. Hagg. 2. frustra quæ; igitur expectare adhuc Iudæos alium Messiam, quum hoc templum iam pridem à Romanis demolitum sit.

Cæterum tertio dicit Propheta, admodum paucos diem aduentus Messiaæ toleraturos. Hoc ipsum certè & in nostro Christo quàm euidentissimè euenit. Priusquam is venisset & apparuisset, optabant omnes accelerari Messiaæ aduentum. At vbi apparuisset iam & doctrina & miraculis & conuersatione, tum cœpit illicò contempni, haberi odio, proscindis

nec quietum est, donec actus esset in crucem. Verò igitur dixit Simeon de illo, positum eū esse & in ruīnam & resurrectionem multorum in Israel. Lucæ 2.

Porro quartò dicit Malachias, futurum Messiam ignis conflatoris & herbæ fullonum instar, purgaturumq; ac colaturum filios Leui tanquam aurum & argentum. His verbis describit Messiam opus seu officium, quòd nimirum omnes immundos ac peccatores purgaturus, iustificaturusq; esset, atque facturus eos filios Leui seu Sacerdotes.

Quàm efficaciter autem & Dominus Iesus Messias noster officium huiusmodi executus sit, quàm copiosissimè testantur libri testamenti noui: sed breuissimè simul ac luculentissimè Ioannes Euangelista id testatur, sic inquit: Iesus Christus est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regū terræ: qui dilexit & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum, fecitq; nos reges & sacerdotes Deo ac patri suo, Apocal. 1. Postremò verò dicit Propheta, purgatos filios Leui oblaturus Domino sacrificium in iustitia, placitumque illi sacrificium Iudæ, & Hierusalem sicut in diebus antiquis. His verbis describit officium mundatorum seu Christianorum: quod nimirum est, sacrificare redemptori & vbique & iugiter sacrificium laudis, gratiarumq; actionis. Psalm. 49. spiritus contriti. Psalm. 50. totius corporis Rom. 11. misericordiæ. Philip. 4. quin & iustitiæ. Psalm. 4.

Quū igitur & nos à Iesu Christo in Baptismo purgati simus per ipsius sanguinē, sicq; cōsecrati omnes in spirituales, offeramus ipsi etiā huiusmodi sacrificia Christo nostro, simusq; grati pro accepta redemptione. Sic em̄ acceptissimū erit illi sacrificiū nostrū, cōsequemurq; pro ea præmia & tēporalia & æterna-

IN EVANGEL. CON. I. 155
FERIIS PURIFICATIONIS MA-
RIAE, IN EVANGELIVM CON-
CIO PRIMA.

*Postquam compleri fuissent dies purificationis eorum
secundum legem Moysi, &c. Luc. II.*

IN vaticinio prophetico paulò antè recitato, inter *Habita*
tria illa, quæ de Messia adduximus completa in *anno 421*
nostro Iesu, simul etiam audiuius, Messiam ad tem-
plum sanctum suum venturum, & admodum pau-
cos de die aduentus eius cogitatuos. Sic enim in-
quit Dominus apud Malachiam: *Statim veniet ad tem-*
plum sanctum suum Dominator quem queritis, & angelus tes-
tamenti quem vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum,
& quis poterit cogitare diem aduentus eius? Hoc vtrunque
itidem in nostro Iesu completum est: quemadmo-
dum in hodierno præsertim Evangelio clarè nobis
ob oculos statuitur. Nam & venit is ad templum san-
ctum in Hierusalem, & à paucissimis tamen de ad-
uentu & præsentia eius cogitatum est. Venit autem
eò post dies purificationis matris suæ, idque hanc
ob causam, ut sisteretur Domino, ut Deo sanctifica-
retur, nempe primogenitus. Et agnitus est à duobus
duntaxat hominibus Hierosolymis, Simeone nimi-
rum iusto & Hanna prophetissa: hi soli enim confes-
si illum sunt & amplexi.

Sed ecquid in templo sic præsentatus est: propter
Legis præceptum. Nam in hac mandauerat Domi-
nus, & ut purificaretur mater masculiperæ quadra-
ginta dies, & ut ijs diebus exactis primogenitus præ-
sertim Deo sanctus statueretur. Leuit. 12. Exod. 13:
Tamen autem neque Maria mater neque ipse fili-
us Dominus Iesus ei Legi obnoxij essent, nihilo ta-
men minus eidem gesserunt morem: illa quidem, ut

honorē diuinum & dilectionem proximi cumular-
 ret: iste verò, vt subijciendo sese legi, liberaret nos à
 lege & huius maledictione. Quòd verò neuter legi
 huic obnoxius esset seu fuerit, faciliè monstrari &
 probari potest. Ita enim lex prior habet: Mulier si su-
 cepto semine pepererit masculum, quadraginta die-
 es immunda esto. Hoc præceptum illam duntaxat
 mulierem ligat, quæ virili semine & conceperit & pe-
 pererit. At Maria non peperit ex concepto virili se-
 mine, sed Spiritus sancti opera. Ergo manifestū est,
 eam non fuisse immundam, neq; idcirco purgatio-
 ne habuisse opus. Porrò lex altera ita habet: Omne
 masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino
 vocabitur. Mandatū hoc filium illum ligat, qui vul-
 uam matris aperuerit. Verū Seruator noster, neque
 ingrediens neq; egrediens, virginalis vteri claustra nō
 violauit. Certum igitur est, non opus habuisse eum
 sanctificatione. Quare, quemadmodū diximus, Ma-
 ria honoris diuini & charitatis ergò sese Legi volēs
 subiecit: & Christus idcirco legi factus est obnoxius,
 vt legi pro nobis satisfaceret, & nobis primogenitu-
 ræ spiritualis prærogatiuam libertatemq; impetra-
 ret. Galat. 4. Sed cur à tam paucis agnitus est Domi-
 nus? propter veritatem nempe Dei. Prædixerat enim
 is, paucos de aduentu eius cogituros: eoq; & Do-
 minus in Euangelio ipsemet inquit, multos esse vo-
 catos, paucos verò electos. Matth. 20. Et Esaias dicit:
 Domine, quis credidit auditui nostro, & brachiū Do-
 mini cui reuelatum est? Hinc verò colligimus, quāta
 sit cæcitas humana in rebus ad salutē pertinentibus.
 In externis & corporalibus nemo non circumspectus
 est & prouidus: verū in internis & cælestibus altum
 stertimus, de his nulla nos cura tangit. Id autem nō
 Dei culpa sit, sed nostra ipsorum. Plus satis ille de
 aduen-

aduentu Messia in prophetis populum Iudaicum admonuerat. Sic eum delineauerat vndequaue, vt ab omnibus potuisset agnosci: sic quoq; summos eius effectus extulerat, vt omnes illum merito noctu diuq; experere amplectiq; debuissent. Sola Iudæorū ignorantia obstinata & cæcitas in culpa fuit. Tamen quòd Simeon & Anna illum agnouerunt, gratia mera fuit Dei. Nam vterque admonitu Spiritus sancti eadem hora venit in templū. Quàm verò insigniter illum agnouerint, abundè satis declarat Lucas. Simeon agnouit eum Christum Domini, salutare Dei, lumen gentium, gloriam plebis Israeliticæ, ruinam & resurrectionem multorum, signum impugnandū. Etsi autem Hannæ confessio non verbotim expressa est, fuit tamen haud dubiè vel eadem similis. Dicit enim Euangelista, confessam illam esse Domino, & locutam de eo omnibus Hierosolymis redemptionem expectantibus. Tantum de historia.

Iam, quia hîc præter Simeonem, Virginis præsertim & Viduæ exemplum habemus, non ab re fuerit, de Virginitate & Viduitate nonnihil adferre in medium: præsertim quando de hoc vtroq; vitæ genere nihil dixerimus hætenus. In virgine Maria videmus, nihil illam habuisse prius, quàm Iesum & Legis diuinæ obseruationem. Id enim & hîc & vbiq; aliàs clarè emicat. Ita nimirum & virgines in sua castitate hoc vnum curare debent, vt sponso Iesu datam fedulò seruent fidem, vt hunc agnoscant, hunc amēt, hoc nitantur, huic seruiant, huic placeāt: deinde verò & rebus mundanis pompisq; huius seculi neglectis, legi diuinæ totæ incumbant, in hac & cogitent & loquantur & operentur. Innupta (inquit Paulus) curat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta cum corpore tum spiritu: Contra quæ nupta est, curat ea quæ sunt mundi,

mundi, quomodo placitura sit viro. Hoc autem ad id, quod vobis conducibile est dico: non uti laqueū vobis iniiciam, sed ut quod honestum & decorum est, sequamini, ut adhæreatis Domino absq; vlla distractione. 1. Corinth. 7.

Porrò in Vidua Hanna videmus, insignē castitatē illi & in virginitate & in viduitate fuisse, magna item illam religione fuisse præditam, ieiunijs & obsecrationibus seruiisse Deo diu noctuq;. Sic nempe & omnes viduæ ante omnia curabunt, ut sint castæ pudicæq; tam animo quàm corpore, ut item religioni modis omnibus sint addictæ, ut ieiunijs similiter & obsecrationibus nocte ac die Deo seruiāt, mundo verò & carni moriantur. Quæ verè vidua est ac desolata, inq; Apostolus ad Timot. cap. 5. sperat in Deo, & perseverat in obsecrationibus ac precationibus noctu diuq;. Porrò quæ in delicijs versatur, ea viuens mortua est. Et hæc præcipe, ut irreprensibiles sint. Vidua allegatur nō minor annis 60. quæ fuerit vnus viri vxor, in operibus bonis hominū testimonio comprobata, si filios educavit, si fuit hospitalis, si sancto rū pedes lauit, si afflictis ministravit, si in omni opere bono fuit assidua. Tantū de Virginib⁹ & viduis;

Cæterum omnes, siue magistratus siue subditi, siue mariti siue vxores, siue virgines siue viduæ, siue domini siue serui, siue iuuenes siue senes, vnā cū Maria, Simeone & Hanna, laudemus Deum, confiteamur Domino, admiremur verbum ipsius, agnoscamus Iesum Christum Domini, salutare Dei, lumen gentium, gloriam Israel, eiq; obsecrationibus & ieiunijs sedulo seruiamus. Amplif-

IN IDEM CONCIO

SECUNDA

Tria insignia exempla hoc in Euangelio nobis Anno 520
proponuntur, quæ & in præsentia cum primis
expendemus. Primum est, sanctæ obedientiæ: secun-
dum verò, exiniq̃ humilitatis: tertium verò, insignis
fidei & charitatis. Primum, in parentibus Iesu Iose-
pho & Maria conspicitur: secundum, in ipso filio Ie-
su relucet: tertium, in Simeone nobis commenda-
tur. Interea verò, dum ego explicabo hæc tria pau-
cis, vos estote quàm attentissimi.

Quod itaq; exemplum primum attinet, audiui-
mus, Mariam (iuxta Legis præscriptum, Leu. 12.) dies
purgationis compleuisse, ac deinde vnà cum Iose-
pho coniuge puerum Iesum adduxisse Hierosoly-
mam, ibiq̃ præsentasse illum Domino, obtulisseq̃;
pro eo par turturum seu duos pullos columbinos.
Hic sanctæ raræq̃; obedientiæ relucet exemplū. Nam
nihil omniū omiserunt parentes, quod in Lege præ-
ceptum esset: Adeò nimirum, vt & eam legem serua-
rent simul, à qua prorsus erant immunes & exempti.
Vt enim (iuxta quorundam opinionem) astricti
fuerint Legi de primogenitis Deo consecrandis, id-
que quòd Dominus Iesus verè primogenitus (ideoq̃;
& rex & sacerdos) esset: certè nihil omninò legi de
Purgatione debebant, vt quæ solas illas mulieres
obligauit, quæ læsa virginitate & ex virili semine
conceperant fœtum. Maria autem nulla indignit
purgatione. Nam ea virgo concepit, & citra vllam
viri operã. Adhęc nulla in conceptione & partu fuit
inquinatio. Hoc igitur tam egregium obedientiæ,
ergaque Dei legem obseruantie exemplum, & nos
ad similem obedientiam, obseruantiamque hortari
debet, vt itidem nimirum diuinis præscriptis obse-
cundemus, idque adeò vltro & alacri animo: etian-
ijs, quibus alioqui obstricti non sumus, ne videlicet

alijs sinus offendiculo, & vt sic nostrum erga Deum amorem testationem faciamus.

Iam verò, quod secundum contingit paradigma: audiuimus, ipsum etiam puerum Iesum sese Purificationis Legi, & alijs porrò Legibus subiecisse: hoc nempe summæ fuit humilitatis. Nam ipse utiq; nullam debebat vllis Legibus obedientiam, vt pote supra Legem, & Legis Dominus: multò verò minus Legi de Purgatione quid debebat, quippe qui est purissimus, ipsissimaque adeò puritas: quemadmodum sanè & purissimū illum esse oportuit, qui totius mūdi sordibus emundandis erat destinatus. Nihilo minus tamen, vt summam declararet suam humilitatem, Legi voluit subijci: sed in finem hunc, vt nos à Legis seruitute ac maledictione adsereret. Tam insigne igitur humilitatis exemplar habentes, & ipsi humiles simus, humiliemurq; sub potenti manu Dei: idq; tātò magis, quantò nos Christo inferiores simus. Atque huc nō tantū Christi exemplum, sed & expressum mandatum ipsius animare nos debet: sic enim inq̃t: Discite à me, quòd mitis sim & humilis corde. Si ille propter nos adeò sese humiliavit, meritò & nos propter ipsum vicissim humiliari debemus.

Cæterum, quod ad tertium exemplum spectat, audiuimus, Simeonem illum iustum ac pium (qui promissionem à Spiritu sancto acceperat, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini) venisse in templum, accepisseq; puerum Iesum in vlnas suas, & laudasse Deum propterea quòd iam vidisset oculis suis salutare Dei, Lumen gentium & Gloriam plebis Israeliticæ, Messiam nimirum, Christum Domini. Hic præclarum & fidei & charitatis paradigma habemus. Fides quidem in eo satis superque relucet, quòd expectauit consolationem Israelis Christum
seruã

seruatorem, quodque infantulum hunc credidit verè salutare Dei esse, hoc est, thesaurum & copiae cornu salutis omnis, nihil interim personae humilitate offensus.

Charitas verò in hoc affatim resplendet, quòd idem infantulum Iesum accepit in vlnas, quòd hunc appressit senili pectore. Nam hisce gestibus testatus est, se animo alacri & feruido oblatum Christum recipere, complecti eundem maximo animi desiderio, in ipsum quoque pectus, & cor recipere, breuiter totum in illum ferri. Hoc ergo insigne vtriusque virtutis exemplum & nos sedulo imitemur. Primò talem agnoscamus Dominum Iesum, qualem agnouit Simeon, nempe Christum Dominum, Sacerdotem & Regem æternum, Salutare Dei, lumen & gloriam credentium omnium, ideoque & illi ex animo fidamus ac adhæreamus: deinde accipiamus etiam eundem in vlnas, diligamus ipsum ex toto corde, laudemus ipsum, gratias ipsi agamus, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia: lumen denique fidei & bonorum operum ipsi præferamus per omnem vitam, vt sic lucem immarcescibilem tandem læti cum ipso inhabitemus.

IN IDEM CONCIO

TERTIA.

PRÆTER alia præclara Euangelij huius dogmata, Anno 54. duo præsertim (admodum certè & necessaria & salutifera) proponuntur in eo nobis: quorum alterum ad fidem, alterum verò ad vitam seruit. Prius quidem est, ecquid sentiendum ab omnibus sit de Iesu nostro: posterius autem est, ecquomodo is excipi dignè debeat.

Inde quidem, quòd Maria mater Iesu dies purgationis

tionis compleuit, quodque puer ipse (ceu alij Iudeo-
rum infantes) praesentatus est in templo, aliud in
speciem apparet nihil, quam quod homo is dunta-
taxat verus sit, hominibus alijs similis per omnia. Ve-
rum, si Simeonis contemplerur testimonium, elu-
cebit plus satis, ipsum esse hominem longè homini-
bus alijs excellentiorem: immò non hominem dun-
taxat excellentissimū esse, sed & verum Deum, Mes-
siamque vnicum. Nam quis salutare Dei esse potest,
nisi Deus ipse? quis item lumen gentium & Iudæo-
rum gloria potest esse, nisi vnus Messias? ad hunc e-
nim dictum est: Parum est, vt sis mihi seruus ad susci-
tandas tribus Iacob & feces Israel conuertendas.
Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad
extremum terræ, Esa. 49.

Si autem salutare Dei est Dominus Iesus, apud
ipsum solum salus omnis quaerenda est, immò expe-
ctanda etiam certò. Act. 4. Matt. 11.

Si verò idem & lumen est gentium ac Iudæorum
gloria, est profectò omnium perinde hominum ser-
uator, neque quis excluditur ab eius salute: est ad-
hæc ab ipso solo petenda illuminatio omnis, est &
omnis omnium in ipsum vnum coniicienda gloria.
Vide, eatenus seruit nobis Euangelium praesens ad
fidem, fiduciamque.

Iam vt & de digna Christi exceptione agamus,
docet nos hanc pulchrè Simeonis persona. Is (vt au-
diuimus) fuit iustus ac pius, expectator consolatio-
nis Israel, ac Spiritu sancto praeditus: accepitque pue-
rum Iesum in vlnas suas, & laudauit Deum.

Has ergo condiciones & in nobis esse oportebit,
siquidem dignum Christum & excipere & retinere
velimus. In fide nimirum iusti ac pij simus necesse
est. Vt autem iusti, pijque simus, Spiritum sanctum
esse su-

esse super nos oportet. Ut verò donemur hoc, Christum accipiamus oportet in vlnas nostras, hoc est, diligendus is nobis est. Nam dilectoribus suis pollicitus est paraclerum. Accepto porrò Spiritu sancto, & per hunc ipso Christo, & in vtroque iustitia ac pietate, perpetuò in laudando Deo simus oportet, vt tota vita nostra sit perpetua gratiarum actio.

Sed vt iustitia, pietasque nostra vera esse appareat, non pigere nos debet imitari matrem virginẽ, hoc est, quemadmodum illa in seruandis purgatiõis diebus (quibus tamen nõ tenebatur) sese obediẽtem & vlroneam exhibuit, ne cui vllum obijceret offendiculum: ita & ipsi, etiamsi à multis per Christianam libertatem simus liberi, tamen vt ordinem, vnitatemque seruemus, & ne cui simus offendiculo, pijs Ecclesiæ cæremonias ac constitutiones seruare obediẽter, lubentesque debemus. Nam etsi in his consistat ipsa iustitia, & pietas, pulchrè tamen per eas declarantur, sed & prouehuntur.

Vide, sic excipi, retinerique nobis Christus debet: post fidem inquam, iustitia, pietate, amore, obediẽtia.

FERIIS D. PETRI CATHE-
DRAE, IN EPISTOLAM
CONCIO PRIMA.

*Petrus Apostolus Iesu Christi, aduenis sparsim in
colentibus Pontum, &c. I. Pet. I.*

IN hac Lectione vt breuiter, sic & cum primis dilucidè D. Petrus totam salutis nostræ rationem, vt pote principium, medium, & finem, nobis proponit. Declarat enim primò, à quo salus æterna detur: secundò, qua caussa mouente detur: tertio, per quem detur; quartò, quid ipsa salus sit: quinto, quibus ea contin-

*Habitu ad
no 46.*

contingat: sexto ac vltimò, quæ fors salute donatorum in hoc mundo futura sit, qualis item vita. Quia verò huiusmodi particula cognitu nobis & expèsu omnibus modis sunt & vtilissimæ & necessariæ, iccirco eas ordine vobis demonstrabo. Quare & maxima attentione auscultate omneis.

Quod igitur attinet ad primum, nempe à quo salus detur, dicit Petrus, eam contingere à Deo & patre Domini nostri Iesu Christi. Quòd autem eam Deo tribuit, per hoc excludit omneis creaturas in vniuersum, docetque, à nullo eam expectandam, nisi à solo Deo, quemadmodum & Deus ipse apud Esaiam cap. 43. inquit: Ante me non est factus aliquis Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me saluator. Et cap. 45. Deus iustus & saluans non est præter me. Porro quòd addit Apostolus, patrem Domini nostri Iesu Christi, per hoc omnes alios Deos excludit, docetq; hunc solum esse verum illum Deum saluantem, quemadmodum & D. Paulus 1. Corint. 8. eleganter testatur: Etsi (inquiens) sint qui dicantur Dij, siue in cælo, siue in terra (siquidè sunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia & nos in illum.

Ceterum quòd ad secundum, nimirum, qua causa mouente salus detur, attinet: dicit Petrus, eam dari secundum misericordiã Dei. Quo sanè elogio omnia merita humana excludit, ac docet, salutem contingere à Deo, non propter præcedentia opera aut merita, sed gratis, ex mera benignitate, quemadmodum & Deus ipse apud Esaiam cap. 48. inquit: Propter me, propter me faciam, vt non blasphemet: & gloriam meam alteri non dabo. Et D. Paulus 2. Timoth. 1. Deus (inquiens) liberauit nos, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed se-

cun-

cundum propositum suum, & gratiam. Et Tit. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit Deus.

Porro quod attinet ad tertium, videlicet, per quod salus à Deo detur, dicit Petrus, eam dari per resurrectionem Iesu Christi. Per resurrectionem verò, & incarnationem & passionem, adeo quæ ascensionem intelligi vult. Nam per hæc singulas salus impetrata est. Incarnatio enim Christi indicium fuit, quod salus ipsa esset propè ac parata. Passio autem ipsius, peccata totius mundi expiauit, mortis quæ per mortem aboleuit sententiã, adeo quæ mortis auctorem Diabolum eneruauit. Resurrectio verò, certum argumentum dedit, ablatum esse peccatum, deglutitam mortem, deuictum Sathanam, profligatam damnationem, & contrã æternam redditam iustitiã, donatam vitam, recuperatam æternam felicitatem. Ascensio denique, præparatio fuit donatæ cœlestis hæreditatis, & certum signum, eò venturos saluos, quod Christus præcesserit. Summa igitur est, per vnum Iesum Christum dari salutem à Deo.

Insuper quod attinet ad quartum, nempe, quid ipsa salus sit, dicit Petrus, esse illam hæreditatem incorruptibilem, & incontaminabilem, & immarcescibilem, conseruatam in cœlis, paratam reuelari in tempore nouissimo. Quibus vtique verbis declarat, salutem non esse rem leuiculam, sed talem, quæ æternas diuitias, æternas voluptates, æterna gaudia, æternam vitam, complectatur. Si iam cui placent opes, voluptates, gaudia, felicitas, vita: ei sanè multo magis arridebit salus, vt quæ (modò diximus) hæc omnes, non ad tempus, non mixtim, sed perpetim, sed sincerissimè adferat.

Quod autem ad quintum, scilicet, quibus contingat sa-

gat salus, attinet, dicit Petrus, dari eam illis, qui in virtute Dei custodiantur per fidem. Quibus nimirum verbis innuit, non quoslibet salute donari, sed eos duntaxat, qui ab æterno ad eam prædestinati sint, quiq; iam vocati prædicatione verbi & per spiritum sanctum solidam in Deum patrem & Iesum Christum fidem habeant, quemadmodum & D. Paulus pulchre Rom. 8. inquit: Quos præscierat Deus, hos prædestinavit conformes fieri imagini filij Dei, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinavit, hos & vocavit: quos autem vocavit, eos & iustificavit: quos autem iustificavit, eos & glorificavit, hoc est, æterna salute donavit. Summa itaq; est, solos electos ab æterno saluari.

Postremò quod attinet ad sextum ac ultimum, nimirum, quæ fors, qualisq; vita salvandorum in hoc mundo sit, dicit Petrus, eos nunc contristari oportere varijs tentationibus, & vitam agere cedentem in laudem & gloriam & honorem Dei. His autem verbis certa dat signa, quibus electi dinosci possint. Nam tamen si prædestinatio & salutis donatio inuisibiles sint, tamen his notis deprehendi clarè queunt salvandi, nempe ex afflictione & vitæ innocentia. Quicumque igitur hinc affliguntur ob iustitiam, & piam interim vitam agunt, ij certissimi sunt electi. Quare si & nos huius salutis verè participes & haberi & esse volumus, patienter afflictiones toleremus, & piam agamus vitam. Sic futurum est, ut nos quoque hæreditas illa immarcescibilis maneat, finis inquam fidei nostræ salus animarum nostrarum.

IN EANDEM CONCIO

SECVNDA.

HAc Epistola peculiariter nos D. Petrus ad laudandum Deum hortatur & excitat. Quò verò laudatio huiusmodi & perfectior sit & promptior, tria potissimum in medium adfert. Primum est, quis sit ille Deus quem laudare debeamus: secundum autem est, ob quam præcipuè causam is nobis laudandus sit: tertium verò ac postremum est, quoniam demum pacto verè à nobis debeat laudari. Hæc tria ordine ostendemus: vos interim sedulo mentem dictis appellite.

Confitentur & Iudæi ac Turcæ vnum Deum, Deumque laudant: verum imaginarium incertumque & confitentur & laudant Deum. Quem enim confitentur & laudant illi, hunc patrem esse, hoc est, naturalem habere filium negant. At Petrus hic eum Deum à nobis agnosci & laudari vult, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, hoc est, qui naturalem habet filium. Immò vniuersa etiam sacra scriptura hunc solum Deum nobis vnicè commendat. Ergo pater Domini nostri Iesu Christi verus Deus est, què nos & confiteri & laudare debemus. Qui verò negat Deum esse Domini nostri Iesu patrem, is Deum non nouit, etiam si omnia alia pertinacissimè credat, què ipsi sacra tribuit scriptura. Sumus igitur hic certi, quis verus Deus sit. Hunc itaq; vnum & verum Deum semper agnoscamus, & vt verum Deum dignè laudemus. Credamus inquam, verum Deum esse patrem naturalem Domini nostri Iesu Christi, & Iesum Christum naturalem esse veri Dei filium. Ita verum Deum rectè nouerimus.

Sed quur nam Deum ac patrem DOMINI nostri Iesu Christi debemus laudare? quid fecit laudè dignum? quid nobis præstitit? audiamus Petrum:
*IN TA COPIOSAM SUAM MISERICORDIAM (inquit) REGENUIT NOS VZ
 SPER*

spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem immortalem & incontaminabilem atque immarcescibilem, conseruatam in cælis erga vos, qui virtute Dei custodimini per fidem ad salutem, quæ in hoc parata est, vt pateat in tempore supremo. Laudandus ob id à nobis est Deus pater, quod & noster pater sit. Quomodo verò est pater noster? solane creatione? nequaquam sola creatione: quanquam tamen & hac ratione verè pater noster dici possit. In regeneratione nimirum omnium maximè pater noster factus est. Quod ille in nobis creauerat rectè & absolutè, id prothoparens noster Adam sua transgressione in nobis corruerat rursum: nam peccato & morti nos infeliciter genuit. Misertus igitur nostri Deus, bis pater noster factus est: nam regenuit nos iustitiæ & vitæ, quos semel iustitiæ & vitæ creauerat: regenuit autè per mortem & resurrectionem filij sui Iesu Christi. Hunc enim fuit mori, vt peccata nostra tollerentur: hunc & resurgere fecit, vt æternum iustificaremur & viuificaremur. Et regenuit nos sic, vt & in filios adoptauerit, & hæredes vitæ æternæ instituerit. Ac quando in terris adhuc agimus, custodit nos virtute sua per fidem ad salutem. Et si cælestem hæreditatem nondum realiter possidemus, certissimò tamen erga nos in cælis conseruata est. Quum igitur optimus pater tanta erga nos misericordia & vsus sit & etiamnum vtatur, meritò certè ipsum laudabimus.

Verum quo pacto laudari ille à nobis debet? dicat hoc Petrus: *In hoc (inquit) exultate, nunc ad breue tempus afflicti in variis experimentis, si opus sit, quò exploratio fidei vestre multò pretiosior auro, quod perit & tamen per ignem probatur, reperiat in laudem & gloriam & honorem. Laudatio Dei & in exultatione & in afflictionibus consistit. Sic ergo laudare debemus Deum, vt exultemus*
in con-

in conscientia pura & fide non ficta, vt quæ afflictiones in Dei gratiam patiamur. Exultare iure optimo debemus, quòd sciamus hæreditatem immarcescibilem in nos in cœlis esse conseruatam. Affligi verò patienter feremus, & quòd non diu affligemur, & quòd fides per afflictiones tum probetur tum reddatur illustrior, & quòd æternam laudem, gloriam & honorem inde simus habituri in reuelatione Iesu Christi.

Amplifica, repete, & hortare.

IN EANDEM CONCIO

TERTIA.

ECquar Lectio hæc præsentibus D. Petri ferijs de ANNO 530.
dicata sit, certò equidè explicare haud possum: nisi ob id forsan, quòd is eam ipse scripserit, quodque pulchrè obiter confessioni eius (quàm audimus in Euangelio) ea conueniat. Sed parum refert, quarenàm nunc proponatur nobis, modò sciamus proponi eam nobis ad nostri doctrinam. Hanc igitur consideremus paucis.

Laudat hic D. Petrus, adeoq; & nos suo exemplo prouocat ad laudandum Deum patrem cœlestem, pro copiosa ipsius misericordia, quam nobis exhibuit per Iesum Christum filium suum: hæc nimirum summa est. Vt autem videamus, quàm pulchrè conueniat Lectioni huic cum Euangelio hodierno, eandem hic Apostolus initio constituit confessionem de Iesu Domino, quam & illic: Ibi enim cõfessus est esse illum Christum, viuentis Dei filium: ita & hic (idque adeò ter) Christum eum vocat, dicitq; Deum esse eius patrem. Nam sic inquit: *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi*. Debemus itaque & nos in fide, confessioneq; hac constanter persistere, vt nul-

Iam scilicet agnoscamus Deum, præter eum qui est pater Domini nostri Iesu Christi: nullum item agnoscamus Christum ac naturalem Dei filium, quam vnum Iesum Nazarenum, filium Mariæ. Quærant Iudæi, Turcæque & Hæretici alium Deum ac Christum, ubi & quandiu volent: nobis sufficit hic Deus & Christus, de quo Petrus loquitur.

Sed videamus nunc, quænam copiosa illa Dei nostri misericordia sit, qua erga nos per filium suum Iesum Christum usus est, & propter quam laudare illum debemus. Regenuit nempe nos in spem viuam, in hæreditatem inquam immortalem ac cælestem. Infeliciter admodum ab Adamo primò geniti eramus, nimirum in desperationem ac mortem æternam.

Quum igitur cælestis pater nollet perire nos, quos condiderat: misit, deditque nobis secundum Adam filium suum, perque huius mortem ac resurrectionem regenuit nos, donauitque nobis & spem & hæreditatem etiam vitæ æternæ. En, ob hanc copiosam Dei erga nos misericordiam, laudare ipsum debemus iugiter. At dixerit quispiam: equo modo laudandus ille est? solisne verbis? verbis quidem, at non solis: sed & vita ac morte, hoc est, vitæ innocentia & afflictionum variarum tolerantia.

Et si autem hæc carni tristitiam pariunt, in spiritu tamen operantur exultationem, & præterea non durabit diu tristitia isthæc, sed vertetur in æternum gaudium. Nam quum hoc pacto fides nostra & explorata & auro pretiosior inuenta fuerit, reperiemus laudem ac gloriam, & honorè in reuelationem Iesu Christi.

Laudemus itaque (quod restat) Deum nostrum perpetuò, & laudemus eum tum fide tum confessione, tum vita, tum morte: vt hæreditatem illam immorta-

mortalem, in caelis conseruatam erga nos, omnes tandem cum gaudio & apprehendamus & possideamus.

FERIIS D. PETRI CATHE-
DRAE, IN EVANGELIUM
CONCIO PRIMA.

Cum venisset Iesus in partes Casarea eius, qua cognominatur Philippi, &c. Matth. XVI.

Huiusmodi articulus in hoc Euangelio nobis & *Habitatio no 49.*
proponitur & explicatur, vt vix vtiliorem magis-
que necessarium vniuersa habeat sacra scriptura.
Is verò est, solida cognitio Iesu Seruatoris: nam & in
hoc & in huius cognitione summa vtilitas necessi-
tasq; sita est, nempe gratia Dei, salus, & vita aeterna.
Quantoperè igitur vobis & cordi est & utilis &
necessaria salus & aeterna vita, tanto etiam studio,
tanta diligentia de cognitione Iesu audite.

Sunt autem præcipuè tria, quæ circa cognitio-
nem hanc in præsentì Euangelio nobis commen-
dantur. Primum est, quid Iesus sit seu quomodo ri-
tè cognoscatur: secundum est, vnde cognitio Iesu
proueniat: tertium est, quid vtilitatis Iesu cognitio
operetur.

Quod primum attinet, videmus ex historia Euangeli-
j, Dominum Iesum suo tempore dupliciter esse
cognitum: à nonnullis videlicet virum sanctum
& prophetam eximium, sed tamen simplicem ac me-
rum hominem: ab Apostolis verò, Christum & fi-
lium Dei viuentis, hoc est, verum & hominem &
Deum. Priorum cognitio, manca & imperfecta est:
cognitio autem posteriorum est solida & perfecta.
Nam etiamsi ille pro Ioanne Baptista, Helia, Hierem-
m m m 3 mia

nia aut vno ex Prophetis habeatur, non tamen habetur excellentior & maior homine. Nam illi non plus quam meri homines fuere. Fuit autem iste, vt & etiamnum est, non solum homo, sed & simul Deus. Est ergo ea cognitio vera, qua cognoscitur æquè homo & Deus, Christus & filius Dei viuentis. Vbi verò sic cognoscitur, ibi ficitur eius sacrificio & regno, ibi inuocatur tanquam mediator Dei & hominum, ibi adoratur & colitur vt Deus.

Iam quod spectat ad secundum, audiuius in Euangelio ex Domini verbis, carnem & sanguinem non reuelasse Petro illam cognitionem, sed patrem cœlestem. Hinc palàm elucescit, neminem posse aut ore fateri aut credere animo, quòd Iesus sit Christus & Dei viuentis filius, nisi reuelatione & dono patris. Ex solo igitur patre prouenit cognitio Iesu, non ex carne & sanguine. Hoc ipsum autem & alibi Dominus confirmat. Matth. enim 11. inquit: Nemo nouit filium, nisi pater. Et Ioan. 6: Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Quare nimirum pro fide & cognitione Christi solus Deus rogandus & inuocandus est. Nemo putet, in salutis negotio vel seipsum quid posse, vel apud alios opem inuenire posse.

Porrò tertium quod concernit, accepimus ex verbis Domini, Ecclesiam super hac ipsius cognitione fundatam contra portas inferi præualituram, Petrumque propter eam cognitionem donatum esse clauibus regni cœlestis, hoc est, potestate soluendi & ligandi peccata. Hinc verò discimus, fructus cognitionis Iesu esse, victoriam cōtra Sathanam, mundū & peccatum, atq; ingressum hereditatemque regni

cœlestis & vitæ æternæ. Hoc ipsum autem verum esse, & alia multa scripturæ loca testantur. Dominus ipse dicit Ioan. 3. Qui credit in filium, non condemnatur. Baptista ibidem inquit: Qui credit filio, habet vitam æternam. Paulus ait Rom. 10. Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum suscitauerit à mortuis, saluus eris. Petrus inquit Act. 10. Huic omnes prophetae testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum. Ioannes denique inquit: Quisquis confessus fuerit, quòd Iesus sit filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. 1. Ioan. 4. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis vincit mundum, nisi qui credit quòd Iesus est filius Dei. 1. Ioan. 5.

Quum itaque cognitio Iesu tanti momenti sit, agere & legamus & audiamus verbum Dei, inuocemus etiam patris cœlestis gratiam, quòd perueniamus in hanc vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenè adultæ Christi.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

Incredulitas fons & origo est omnium peccatorum malorumque in mundo. Proinde Dominus, ac fidelis medicus animarum & corporum, contra letale hoc venenum in præsentem Euangelio præsentissimum tradidit, reliquitque nobis antidotum. Nam breui compendio tradidit hæc historia totam nostræ salutis summam: nempe quæ vera & orthodoxa fides sit, vnde ea fides oriatur, quamque ea ipsa efficaciam habeat: quomodo perueniatur in Ecclesiam, quodnam sit huius Ecclesiæ funda-

Anno 52.

mentum, quibus denique clauibus aperiatur sanctorum societas, & vita sempiterna.

Sic igitur interrogauit Dominus suos: *Quem dicunt homines esse me filium hominis? At illi dixerunt: Alii Ioannem Baptistam, alii Heliam, alii Hieremiam aut unum ex Prophetis.* Non ignorauit Dominus variare vulgi de se opiniones: proinde non ideo interrogauit, vt quod nesciret doceretur: sed vt secula sequentia erudiret, nunquam defuturas in mundo de vera fide variantes sententias: vtque sic admoneret omnes, ne simplices, veræque fidei studiosi diuersitate illa offenderentur, sed (præteritis omnibus peregrinis opinionibus) ipsi in veri confessionem simplicem & oculos & animos figerent.

Viuentem adhuc illo in mortali corpore, erant qui putarent ipsum esse vel Ioannem Baptistam vel Heliam vel Hieremiam vel alium quenguam ex Prophetis: ea nimirum erant vulgi de ipso iudicia, multum quidem honoris ei tribuentia, verum non tantum quantum satis, & quantum tribuit ipsa veritas, quantumque tribuere iubet vera religio.

Posterioribus verò seculis proruperunt vana ingenia, qualia & hodie eheu non pauca habemus, quorum alia tradiderunt Christum esse Prophetam: alia Deificum hominem, non Deum: item spiritualem hominem, non nostræ substantiæ & nobis consubstantialem: alij esse Deum, sed non consubstantialem Patri: alij aliud commenti sunt.

Verum nos (his omnibus præteritis atque contemptis) verius ac certius aliquid de ipso sentiamus: nimirum hoc, quod Petrus omnium Apostolorum nomine & sensit & confessus est, quum dixisset Dominus: *At vos quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus ille filius Dei viuentis.* Non moratur

Domi-

Dominus vulgi & hæreticorum iudicia, sed vult confessionem nostram esse solidam, certam & apertam. Est autem hac Petri confessione vt nihil breuius, ita nihil illustrius, plenius absolutiusque. Singula enim verba, singula & maxima habent mysteria, eoq; diligenter nobis expendenda sunt. Tu (inquit) es *Christus ille*. Tu nempe solus, non alius: Et quidem Christus, filius Dei viuentis, hoc est, ille in lege & Prophetis promissus, verus & homo & Deus, rex & sacerdos, liberator & assertor, princeps, caput, mediator, reconciliator, sanctificatio, expiatio, iustitia, salus ac vita. Hæc nimirum summa est Petrinæ confessionis. Huiusmodi ergo & nostram fidem, confessionemque esse oportet, quòd inquam Iesus verè sit Christus filius Dei, verus Deus & homo, per quem vnus sanctificentur, iustificentur & viuificentur plenissimè, absolutissimeque, quotquot in nomen eius credunt.

Sed audiamus, quomodo exceperit Dominus confessionem illam Petri: *Et respondens Iesus, dixit illi: Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in caelis*. Hic & causa & efficacia veræ, catholicæque fidei describitur: quòd nimirum ea cœlitus detur, & merum sit donum Dei: quodque eius præmium seu finis sit beatitudo, hoc est iustificatio, ac hæreditas vitæ æternæ.

Vide autem, ad quantam dignitatem ferat hominem vera fides. Petrus per hanc nominis quoque Christi participium adeptus est. Nam Petrus seu petra re vera Christi est nomen, quòd is sit robur & refugium verè potentissimum. Sic nimirum credentes per fidem omnibus Christi bonis participant, sic ipsa Dei dona tanquam propria illis à Deo tribuuntur.

Atque ne quis nostrum singulare hoc Petri præmium nihil ad se pertinere arbitretur, addit exertè Dominus: *Et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferorum non præualebunt aduersus illam.* Quasi dicat: Tu confessus es ex animo, me Christum esse Dei uiuentis filium & mundi seruatorem: Ideoq; te pronunciaui beatum esse, & decorauì te eleganti nomine Petri, à petra uidelicet, à me ipso inquam, quem confessus es esse petram & fundamentum firmissimum omnium in me innitentium. At non tu solus hoc frueris præmio. Nam quotquot me petram confessi fuerint, & tuo exemplo omnem in me fiduciam suam collocarint, erunt & ipsi Petri ac beati. Hic iam discimus, quid sit Ecclesia, nimirum cætus ille confitentium & credentium Christum esse filium Dei uiui: discimus quoque, quo fundamento Ecclesiâ nitatur, nempe ipso petra Christo: discimus denique, Ecclesiam nunquam collapsuram, nunquam euerendam, semper immobiliter perstituram, quod sapè maximam adfert consolationem pijs omnibus.

Sequitur porro: *Et dabo tibi clauēs regni cælorum. Et quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cælis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cælis.* His exponitur quomodo homines intromittantur in Ecclesiam, quomodo ædificentur supra Petram, Merito enim post tanta mysteria quærat aliquis: Quis me perducet in Ecclesiam, aut quâ itur ad vitam? Per clauēs intromittitur quis, quemadmodum & per easdem à domo excluditur: Sic & ad Ecclesiam ingrediendam clauibus opus est, sed spiritualibus, hoc est, ministerio prædicationis uerbi seu Euangelij. Nam hoc docet & aperit, quâ eatur ad cælos aut ad miseriam perpetuam. Commendatur igitur nobis hic uerbi ministerium, commendatur ministrorum potestas: quòd
nimitè

nimirum potestatem habeant peccata & remittendi
& retinendi. Nemo ergo Absolutionem contemnat,
nemo quoq; excommunicatione subsannet.

IN IDEM CONCIO

TERTIA.

Evangeliū hoc propter insignem illam com- Anno 53.
mendationem, qua D. Petrum in eo commenda-
uit Dominus, nobis prælegitur iam. Duo autem fi-
dei nostræ articuli, ijq; insignes admodum, hîc con-
currunt: alter nimirum, quo dicimus, Credo in Ie-
sum Christum filium Dei vnicum: alter verò, in quo
dicimus, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. De
his igitur non nihil iam loquemur ordine, quantum
præsertim Euangeliū præsens exigit.

Ac primò quidem, quod priorem articulum atti-
net, tria nobis hîc proponuntur: primò, quid Iesus
sit: secundò, vnde is cognosci verè possit: tertio, quid
fructus in eius cognitione consistat. Si Phariseorū,
Scribarumq; respiciamus de Iesu nostro opinionem,
magni sanè is ab ijs æstimatus est, qui putabant il-
lum esse vel Ioannem Baptistam vel Heliam vel Iere-
miam vel aliam quenpiam ex prophetis. Nam fuere
hi vtiq; viri admodum sancti & Deo dilecti. Verùm
si respiciamus ipsam Domini Iesu substantiam, lon-
gè adhuc humiliùs, minusque ijdem de ipso sentie-
bant, quàm par erat. Quantumlibet enim Ioannes,
Helias, Ieremias, reliquiq; Prophetæ, sancti ac dile-
cti Deo fuerint, nihil tamen fuere vltra quàm ho-
mines: at ille non homo duntaxat erat, sed & Deus,
non sanctus modò ac Deo dilectus, sed & sanctissi-
mus omnium, vniceq; charus Deo.

Rectè igitur Petrus: *Tu es* (inquit) *Christus filius Dei*
vivi. In hac confessione nimirum gemina substan-
tia,

tia, naturaq; Domino Iesu à Petro tribuitur, humana scilicet & diuina, iuxta humanam quidem, vocat is illum, Christum; hoc est, vnctum, Sacerdotem & Regem: nō simpliciter Christum, sed Christū illum, hoc est, insignem Christum, omniumq; aliorū Christorum (hoc est, Sacerdotum & Regum) principem, nempe illum Christum, qui sacerdos sit æternus, & sacrificium habeat perpetuò efficax, qui item rex sit immortalis ac Dominus om̄ium, & cuius regni nullus vnquam futurus sit finis.

Cæterum secundum naturam diuinam, vocat ipsum Petrus filium Dei viuentis, ideoq; verum Deum de Deo vero: nec simpliciter Dei filium, sed filiū illum, hoc est, naturalem, vnigenitum consubstantialem, æternum: vt scilicet summa teneatur differentia ipsum inter & nos, qui ex sola gratia & gratuita participatione dicimur, simusq; Dei filij & Dij. Vide, sic sentiendum est de Iesu nostro, sic is cognosci & à nobis debet.

Sed vndenam cognitio, confessioque huiusmodi discitur? Indidem profectò, vnde Petrus eam didicerat: nempe non ex carne & sanguine, hoc est, ab hominibus, ex humano ingenio, ex humana arte aut prudentia: sed ex reuelatione cœlestis patris, quippe qui solus nōrit filium. Hinc videlicet & alibi Dominus dicit: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui me misit, traxerit eum: est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit & didicit à Patre, venit ad me. Ioan. 6. Monemur igitur hīc, vt quicquid nobis deest vel in fide vel in quacunque virtute, id apud solum Deum queramus & ambiamus, nō apud nos ipsos aut creaturas vllas.

Quum verò solus Deus sit cognitionis filij sui doctor,

ctor, haud dubiè magna in ea vtilitas consistat oportet. Et sanè maxima, nimirum æterna beatitudo. Nam Petrum ob id Dominus beatum pronunciauit, deditq; ei claves regni cœlorum. Vnde & Ioannis 17. idem inquit: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum D E V M, & quem misisti Iesum Christum.

Si itaq; & nos beati esse cupimus, Iesum Christum verè agnoscamus oportet. Sed vt verè agnoscamus eum, non satis est vt confessionem huiusmodi habeamus corde & ore, sed & vita, moribusq; habeamus eandem necesse est. Sed hæc de priori articulo hæcenus. Iam verò & ad posteriorem accingemur.

Porro in posteriori parte itidem tres loci præfiguntur nobis: primus est, quid sit Ecclesia: secundus, vnde ea sit: tertius, quid fructus ac prærogatiuæ habeat. Quod attinet ad primum, certificamur hic, Ecclesiam esse populum supra petram, Christum nimirum fundatum, hoc est, esse huiusmodi hominum collectionem quæ (quemadmodum Petrus) confiteatur ore, credat corde, & testetur vita, Iesum esse Christum, filiumq; Dèi viuentis. Certè, qui hanc testeram non verè habet, non est membrum Ecclesiæ, neque vnquam saluari potest.

Quod autem ad secundum attinet, certificamur hic, Ecclesiam initium suum habere, non à se aut à liavlla creatura, sed ab ipso Christo, vtpote fundamento ac ædificatore. Atque hoc ita esse, non hic solum, sed & passim in scripturis prædicatur, veluti præsertim Acto. 20. vbi dicit Paulus, Christum acquisisse Ecclesiam sanguine suo. Et Ephes. 5. At verò quod attinet ad tertium, certificamur hic, Ecclesiam hunc habere fructum, hanc prærogatiuam, vt portæ inferi non sint præualituræ aduersus illam,

*Ex concione
habita
anno 45.*

illam, vt item non solum suorum habeat peccatorum remissionem, verum etiam acceperit, possideatque clauis regni caelorum, potestatem inquam & retinendi & soluendi peccata. Amplif.

FERIIS D. MATTHIAE APOSTOLI, IN EPISTOLAM CONCIO
PRIMA.

*Exurgens Petrus in medio Discipulorum, dixit
(eratq; turba hominum) &c.*

Acto. I.

*Habita
anno 45.*

Dominica proximè exacta in Euangelio audiui-
mus, primos futuros nouissimos, & nouissi-
mos contrà primos. Si verò hanc nondum sententi-
am assequuti sumus, in hodierna Epistola ea nobis
perspecta fiet & plana. Nam habemus hîc exempla, è
quibus sole clariùs euincitur, Dominum vera loquu-
tum: quòd enim primi fiant nouissimi, suo exemplo
docebit Iudas: quòd contrà nouissimi euadant in pri-
mos, argumentò nobis D. Matthias erit. Vtrunq; au-
tem exemplum seorsim expendemus. Vos auditores
benignas aureis arrigite.

Quod ad Iudam sanè attinet, scimus principiò ex
Euangelistis, ipsum extra omne dubium inter pri-
mos fuisse. Fuerat enim apostolus Domini, quà uti-
que functione nulla vnquam, in nouo præsertim te-
stamento, extitit dignior, idq; cum doctrinæ tum mi-
raculorum gratia. Deinde etiam ex præsentis Lectio-
ne certificamur, ipsum tandem factum esse omnium
nouissimum. Nam non solum apostolatu priua-
tus est per corporis mortem, sed & in æternæ dam-
nationis discrimen corruit. An non hoc igitur fuit,
ex primo fieri nouissimum? an non hinc colliquet,
vocos omnes non esse electos? Nò est autem quod
pute-

putemus, hoc nulli præterquam Iudæ accidisse, immò innumera huius generis habemus exempla in sacris literis.

Sic nanque Cain, qui & primogenituræ & innatæ superbix gratia primus fuerat, factus est nouissimus, transfuga, & æternū damnatus. Sic Esau quum esset primus, factus est nouissimus. Sic Saul cum esset primus, in nouissimū euasit. Sic Solomon primus, factus est nouissimus. Sic denique Pharisei, Sadducæi, Essæi, adeoq; omnes tandem Iudæi, quum primi essent, omnium nouissimi facti sunt. Mone-mur hinc igitur, quemadmodum hi & horum similes ex primis facti sunt nouissimi: sic & hodierna die eandem metamorphosin innumeris vsu venire. Nō enim mentiri potest veritas. Admonemur item, vt nobis timeamus, nos humiliemus coram Deo, nostramq; operemur salutem in timore & tremore, nē & nos cum iam simus primi, in nouissimos rursū euadamus. Nam alioqui quod vsu venit alijs, nobis quoque vsu venire potest.

Cæterū quod ad Matthiam attinet, primò patet ex scripturis, ipsum fuisse prorsus in nouissimorum numero. Fuerat enim ex septuaginta discipulis Domini: qui certè longè Apostolis dignitatē inferiores erant: non secūs, atque hodiè vulgares sacerdotes episcopis sunt inferiores. Deinde verò in hodierna Lectione audimus, vti Iudas ex Apostolo & primo in teterrimū demonis mancipiū euasit, ita quoque illum cōtrā ex nouissimo factum esse primum, ex humili discipulo in apostolum transfatum. An non igitur hinc perspicuum nobis esse potest, Dominum dixisse vera? nouissimos futuros primos? ex multis vocatis paucos electos?

Verūm hæc metamorphosis non Matthiæ solū, sed

sed & innumeris alijs vsu venit. Sic enim Abel, qui & sibi & Caino nouissimus videbatur, coram Deo factus est primus. Sic Dauid ex ouium pastorculo in regem euasit Israelis. Sic Iacob & natiuitate & animi humilitate nouissimus, factus est primus coram Deo. Sic Ioseph fratrum nouissimus, procurante Deo factus est primus. Sic denique nouissimi piscatores, publicani, meretrices, peccatores, coram Deo in primos euaserunt.

Docemur hinc itaque, quemadmodum hi & horum similes ex infima sorte ad summam coram Deo dignitatem transfuerti sunt, ita & die hodierna innumeros adhuc nouissimos fieri primos. Firmiter enim perstat Domini sententia. Monemur etiam, ut libenter velimus esse nouissimi, quò tandem ad primorum collegium lati transferamur. Omnis nanque qui se humiliat, exaltabitur.

Porrò non existimabimus, hæc de externis primis & nouissimis nudè dici. Nequaquam: nam alioqui sequeretur, eos qui hinc in sublimitate constituti sunt omnes fore abiectos, & contrà omnibus infimæ sortis homines fore primos: quod neutiquam sic futurum est. Videmus nanque multos hinc opibus & potentia claros, qui tamen perinde sese nouissimos & abiectos æstimant. Videmus contrà multos hinc tenuis admodum fortunæ, & qui ab omnibus nouissimi habentur, & tamen in corde sunt pleni philautia, seseq; primos censent.

Quicquid hinc igitur de vtrisque, & primis scilicet & nouissimis, dicitur, id potissimum de interno homine, hoc est, corde accipi debet. Quare ij Domino dicuntur primi, qui, siue externè honoribus & diuitijs polleant, siue inglorij sint, cum sese primos apud Deum habent, tum ab alijs etiam tales haberi
postu-

postulant, hoc est, qui videntur & sibi & ab alijs videri volunt sancti, digni, iusti. Nam hi coram Deo futuri sunt nouissimi, hoc est, reputabuntur impiissimi, indignissimi, iniustissimi: contra ij Domino dicuntur nouissimi, qui & sese nouissimos, hoc est, infimos peccatores ac iniustos æstimant, & ab alijs etiam pro talibus æstimari volunt. Nã hi coram Deo primi sunt futuri, hoc est, dignissimi & iustissimi. Atque hæc potissima causa est, cur Cain, Esau, Saul, Salomon, Pharisei, Iudæi, &c. ex primis facti sint nouissimi; & contra Abel, Iacob, Dauid, publicani, meretrices, peccatores, &c. ex nouissimis primi facti sint. Hinc nimirum magis ac magis in timore & tremore versari meritò debemus, cauereq; ne vnquã aliquam de nobismetipsis iustitiæ aut sanctimoniæ opinionem concipiamus, sed vt potius nos & habeamus ipsi & ab alijs haberi cupiamus abiectissimos, infimos, indignissimos. Sic Iudæ terribilem effugimus lapsum, & cum Matthia, omnibusque electis ad summam euehemur sublimitatem.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

EX hac Lectione audistis breuiter, equomodo ANNO 53.
 D. Matthias (cuius hodiè festa celebramus) ad apostolatam venerit. Hic postularet iam & locus & opportunitas, vt ostenderemus inde, quõnam pacto & hodiè (immò & semper) eligendi essent Ecclesiæ ministri, præsertim Episcopi & pastores. Verùm quia frustraneus omninò (propter multos irreptos huius æui abusus) labor noster futurus esset, superfedebimus eo in præsentia, aliaque inererim ad doctrinam nostram facientia tractabimus.

Primum

Primum igitur, necessaria sacrae scripturae impletio est: iuxta illud Petri: Oportuit impleri Scripturam hanc, quam praedixit Spiritus sanctus per os Davidis de Iuda. Est nimirum sacra scriptura, non hominis, sed ipsius Dei verbum. Nam etsi homines hac libris editis complexi sunt, non ipsi tamen eius sunt auctores, sed Spiritus sanctus per eos loquens: iuxta illud Petri, Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines.

Porro autem Dei verbum, indubitata est veritas, neque mutari unquam potest. Ioan. 17. Psal. 118. Quicquid ergo sacra scriptura praedixit futurum, id nunquam fallit, sed necessario impleri illud oportet: quod videlicet debet admonere nos, ut firmiter scripturae ipsi credamus, ideoque & promissionibus nitamur unice, & cominata mala timeamus ex animo.

Sed dicit quis: Si scripturam impleri omnino oportet, & praedixit scriptura Iudam proditorem Christum ac ab apostolatu desciturum: consequitur igitur, necessario illum prodere Christum & excideri oportuisse, esseque inexcusabilem proin.

Ad hoc verò respondemus, minimè consequentiam eam esse posse veram. Nam neminem ad malum cogit Scriptura & Dei praescientia, sed propria malae hominis voluntas, iuxta illud: Deus neminem tentat, sed unusquisque à concupiscentia sua tentatur abstractus & illectus. Iacob. 1. Vnde nimirum & Iudas potuisset sibi temperare à scelere tanto, toties praesertim à Domino praemonitus: verum maluit sequi pravam suam voluntatem, quam Christum audire. Oportuit ergo in ipso Scripturam impleri, non quòd necessario deberet fieri proditor & apostata, sed quòd praesciuisset Deus (cuius praescientia nunquam fallitur) abusurum illum ad malum suo libe-

ro arbitrio, ideoque prodicionem apostasiamque; eius prædixisset.

Cæterum quod Iudas perijt tam horribiliter, ut crepuerit medius, omniaque; eius effusa sint viscera: id docebit nos, quàm grande nimis scelus sit, sordidus lucri gratia tradere sanguinem innoxium: monebitque; proin, ut quàm alienissimi ab hoc facinore simus, ab avaritia inquam, ab innocentium oppressione, & persecutione veritatis.

Postremò verò, quod Ioseph (qui tanta nimirum erat sanctitate conspicuus) non ad apostolatam electus est à Deo, sed humilis Matthias: inde docemur, mirabilia, inscrutabiliaque; esse Dei iudicia, coramque; ipso primos esse nouissimos & nouissimos primos: quod moneat nos, ne quem omninò iudicemus, ut iudicium Dei semper timeamus, utque ante omnia (quantumlibet etiam simus sancti) paruuli humilesque simus in cordibus nostris. Nam sic demum & ipsi cum Matthia exaltabimur.

FERIIS D. MATTHIAE APOSTOLI, IN EVANGELIVM CONCIO PRIMA.

Hos numero duodecim emisit Iesus, quibus præceperat, dicens: in viam gentium ne abieritis, &c. Matth. X.

Quanam de causa Euangelium præsens ad hæc *Habita*
 scæ præsertim D. Matthiæ ferias ordinatum sit, *anno 450*
 non possum equidem explicare certò: nisi ob id fortè sit factum, quod inter alia præceperit apostolis Dominus, ut gratis darent, quod gratis acceperant. Nam mandatum hoc à Iuda quidem pessimè, ab apostolis, aut alijs optimè fidelissimeque servatum est
 p n n quòd

quòd videlicet ille propter mercedē iniquitatis vendiderit non solum Dei gratiam, sed & ipsum omnis gratiæ diuinæ fontem Dñm Iesum: isti verò gratis omninò acceptā gratiā distribuerint, adeoq; & Matthiam gratis in apostolatū assumpserint: quod vti-
nam & hodiè fieret ab apostolorum successoribus episcopis, & in ministrorum Ecclesiæ præsentatione. Ita enim melius haberet Christianismus, atque nunc habet.

Sed paucis ipsum Euangelij textum percurramus, ad nostram doctrinam. Quatuor præsertim sunt, quæ in eo præscripsit apostolis Christus: nempe, quibus, quid, quo effectū, & qua mercede prædicandum ipsis esset.

Primò quidē noluit, vt prædicarent Samaritanis ac Gentibus: sed voluit, vt solis Iudæis prædicarent: idq; cum, quòd in primis promissus ipse esset Iudæis, tum ne hi (si & Gentibus prædicari permitteret) ansam inde fumerent calumniandi, conquerendiq; Verum edictum hoc postea rescidit, deditq; illis mandatum tam Gentibus, quàm Iudæis prædicandi Euāgelium: vnde & rota Samaria (vt est Act. cap. 8.) ad fidem cōuerfa est, innumeræq; passim Gentes verbū Dei receperunt. Si autē spiritualem sensum edicti illius prioris obseruemus, est & hodiè etiam nū in iunctum concionatoribus omnibus, ne Samaritis, Gentibusq; prædicēt, sed vt solis prædicent Israelitis, hoc est, ne obstinatis hæreticis, impijsq; prædicent, sed vt prædicent ijs, qui vel rectè credunt & incedunt, vel spem certè de se conuersionis præbent: quò nimirū illud Matth. 7. vnicè spectat: Ne detis quod sanctum est canibus. Ne proieceritis margaritas vestras ante porcos, ne quando hi conculcent eas pedibus suis, & illi versi in vos lacerent vos.

Ceterum audiamus nunc, quidnam Christus per apostolos & horum successores prædicare voluerit. Hoc nempe prædicare debebant, quòd appropinquasset regnum cœlorum: hoc est, quòd adesset tempus gratiæ & dies salutis, quòd venisset verus Messias & mundi seruator, quòdque is esset Iesus ille Nazarenus crucifixus: vt proin omnes agerent pœnitentiam, crederent Euangelio, morte resurrectioneque eius vnice niterentur, & ab ipso vno omnem peterent expectarentque salutem: sic fore, vt per ipsius nomen consequerentur & remissionem peccatorum, & spiritum sanctum, & vitam denique æternam. Matt. 3. Marc. 1. Acto. 2. Luc. 24. Atque hæc prædicatio & nunc (immò ad mundi vsque finem) vrgeri ab omnibus verbi ministris debet: vt inquam in nomine Iesu, hoc est, meritorum eius fiducia pœnitentiam & peccatorum remissionem, ideoque & fidem ac bona opera prædicarent.

Porrò autem fructus & operationes, quibus apostoli prædicationem suam ornare debebant, fuere sequentes: Infirmorum sanatio, leproforum mundatio, mortuorum suscitatio, dæmoniorumque eiectio, noua incredibilisque mundo prædicatio erat, Iesum illum à Iudæis crucifixum Messiam esse & verum Dei filium, perque huius mortem ac resurrectionem constare vnice omnium salutem. Dedit ergo Dominus suis miraculorum quorumcunque faciendorum gratiam, vt hæc videntes, experientesque homines, citius, certiusque nouæ huiusmodi doctrinæ (tanquam à Deo profectæ) crederent. Quia verò iam per præcedentia signa plus satis confirmata est doctrina Euangelica, non amplius in vsu miracula sunt, neque nos ijs indigemus: quippe quæ data sunt incredulis, nō credentibus: interim tamen eadē

& hodie ab omnibus gnesijs Ecclesiæ & verbi ministris efficiuntur per prædicationem spiritualiter. Nam sanant ij infirmos, dum perterrefactas conscientias consolantur ac confirmant: mundant leprofos, dum prauas opiniones seu hæreses ex infectorum animis per sanam doctrinam profligant, hosque ad rectitudinem fidei reducunt: mortuos denique suscitant & eijciunt dæmonia, dum peccatores grauius lapsos assiduis suis prædicationibus excitant ad veram pœnitentiam, eosque dein per absolutionis Sacramentum à peccatis omnibus in Christi nomine absoluunt.

Iam verò, quod ad mercedem apostolorum & prædicatorum omnium attinet, audistis dicentem Dominum: *Gratis accepistis, gratis date.* His autem verbis, non (vt quidam hodiè putant) hoc ille vult, quòd sic illi prædicare debeant gratis, vt non sint sustentandi ab ijs quibus prædicant. Nam dicit apertè paulò pòst: Dignus est operarius mercede sua: & Paulus: Ordinauit (inquit) Dominus, vt qui Euangelium annuncient, ex Euangelio viuant. 1. Corinth. 9.

Sed hoc iam dictis verbis Christus vult, ne vel apostoli prædicarent, signaque facerent, vel etiamnum Ecclesiæ ministri prædicent spe & intentione lucri, hoc est, ex auaritia, sed merè ad ipsius gloriam, & auditorum salutem. Non autem soli Ecclesiæ ministri, sed & omnes in genere Christiani dictum sibi putent: *Gratis accepistis, gratis date.* Nam nec ij quicquam habent aut possunt, nisi à Deo, & id gratis quidem: ideoque quicquid vel habent vel possunt, id dent & eo seruiant non habentibus, gratuitò, propter Christum, ex mera fraterna charitate, etiam si nulla sperari possit merces aut repensatio. Quod enim

enim illi vel non rependunt vel rependere nequeunt, ipse rependet Dominus.

IN IDEM CONCIO

SECUNDA.

HOc Euangelium ad prædicatores solos pertinet: sed sic tamen, ut & auditores Christianos concernat. Describitur enim in eo pastoris officium. Huius autem officium nosse, tam interest auditorum, quam pastorum. Horum quidem interest eatenus, ut sciant, quid se deceat: illorum verò eatenus interest, ut sciant, quem pro pastore debeant amplecti & habere. Anno 49.

Sunt autem tria præsertim, quæ Dominus de prædicatorum officio proponit. Primum est, quibus ipsi prædicare debeant: secundum est, quid prædicandum ipsis sit: tertium verò est, quomodo prædicare debeant: De primo prius dicemus.

Prohibet hæc Dominus prædicare Samaritis & Gentibus: iubet contra quibus perditis domus Israeliticæ prædicare. Quod literam quidem attinet, iam pridem decretum hoc immutatum est: quod verò pertinet ad spiritum, hodie etiam nunquam immobiliter seruari debet. Nam post resurrectionem suam Dominus generale dedit mandatum, dicens: Euntes in mundum uniuersum, prædicare Euangelium omni creaturæ, docete omnes gentes. Marc. 16. Matth. 28. Et dicit Paulus ad Iudæos Act. 13. Vobis oportebat primum loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos iudicatis vos æterna vita, ecce conuertimur ad gentes, sic enim nobis præcepit Dominus. Attamen, quia hodie sunt spirituales Samaritæ & Gentes, sunt & spirituales oues Israeliticæ, oportet immobiliter hoc Domini præceptum seruari.

uari. Samaritis, hoc est, hæreticis obduratis, & Gentibus, hoc est, manifestarijs persecutoribus verbi, nõ est prædicandum, Quia vtrique veritati ex professo pertinaciter repugnant: vnde, quò sapius illis verbum Dei prædicatur, hoc crudeliùs sæuiunt. Solis quibus Israeliticis, hoc est, electis ac credentibus, veritatiq; cedentibus, verbum Dei est prædicandum. Quærit tales discipulos verbum Dei, qui illud animo humili amplectuntur, & referunt fructum in patientia.

Iam & de secundo nonnihil agemus: hîc præcipit Dominus prædicare, quòd appropinquauerit regnum cœlorum, hoc est, quòd Dei gratia, salus & vita æterna omnibus oblata & parata sit eam amplectentibus. Sub hac autem prædicatione & pœnitentia & fides comprehenditur. Nam in eum finem appropinquatio regni cœlorum prædicanda est, vt pœnitentia sese omnes ad gratiam præparent, & fidem acceptent ac possideant. Hinc nimirum Dominus etiam ipse disertis verbis prædicauit: Respiscite, instat enim regnum cœlorum. Matth. 4. Item Marc. 1. Impletum est tempus, instatq; regnum Dei, respiscite & credite Euangelio. Et Lucæ 24. Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Omnis igitur prædicatio Christiana eò tendat oportet, vt in ea prædicetur regni cœlorum appropinquatio, hoc est, Dei gratia & gratuita salus, interimq; homines & ad pœnitentiam & ad fidem excitentur. Per hanc enim vtranque doctrinam vere infirmi sanantur, leprosi mundantur, mortui suscitantur, dæmonia eiiciuntur.

Cæterum de tertio nunc porro dicemus. Hic exi-
git

git Dominus, Prædicatores gratuito prædicare debe-
re. Dicit enim: *Gratis accepistis, gratis date.* Sed quid
hoc sibi vult? vult nimirum, ne Prædicatores turpis
lucris gratia vel sola spe præmij prædicent. Ipsi ad so-
lum Domini præceptum, ad solam vocationem su-
am respicere debent, eamq; vrgere modis omnibus,
sive sustententur, sive negligantur. Etiam si homi-
nes tam fuerint ingrati, vt non alerent prædicato-
res, non tamé Dominus eos esset relicturus, Hinc ta-
men auditores non debent ansam sumere negligen-
tiæ Prædicatorum sustentationis. Quicquid hic dicit
Dominus, solis prædicatoribus dicit, non auditori-
bus. Immo ne quis putet negligendos esse prædica-
tores, dicit paulò post: Dignus est operarius cibo
suo. Sustentare igitur debent auditores ministros
verbi: sed tamen solius vocationis suæ ergò prædica-
re debent.

Amplif. repet. hort.

FERIIS ANNUNCIATIONIS MA-
RIÆ, IN EPISTOLAM CON-
CICIO PRIMA.

*Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pere
tibi signum à Domino, &c.*

Esaiæ VII.

PVlcherrimum consolantissimumq; vaticinium *Habita*
de Messia seu Christo hac in Lectiōe habemus. *anno 491*
Præsertim verò proponuntur in eo nobis duo. Pri-
us est, ex quali Matre nasciturus esset Messias: alte-
rum autem est, quo nomine is appellandus, seu po-
tius cuius naturæ futurus esset. Hic iam præfari
debëbamus, cum quàm opportunè Pater coele-
stis promissiones de Messia promulgauerit, tum
quàm constans fuerit in promissis & exhibenda

Messia: vt qui eo potissimùm tempore Messiam promiserit liberatorem, quum insigni aliqua externa calamitate premerentur Iudæi: & ad eò in promissis fuerit constans, vt neque incredulitate neque impietate Iudæorum atque horum principum pollicitationes suas reuocauerit cassaueritque. Verùm quia temporis laboramus penuria, de his nunc superse-
deamus oportet. Quare simpliciter ac breuiter illa duo duntaxat præmanibus sumemus.

Quod igitur prius attinet, è quali nempe Matre nasciturus esset Messias: singularem ac raram Matrem Dominus describit. Inquit enim Esaias: *Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce virgo pariet & concipiet filium.* Hic apertè audimus & certificamur, Messiam ex virgine matre nasciturum. Etsi autem Iudæi hunc locum suis commentis labefactare deprauareque contendunt, nihil efficiunt tamen. Nam inuicta manet veritas. Vbi textus noster virgo habet, ibi Hebræi habent Alma. Alma verò volunt Iudæi significare mulierem adolescentulam à viro cognitam: vt fit sensus, Mulier adolescentula ex viri semine concipiet & pariet filium. Hoc iam si verum est, quomodo dicit ergo Esaias, Dominum signum daturum domui Iacob? Certè mulierem iuenculam à viro cognitam filium concipere & parere, non est signum. Signum enim id dicitur, quod rarum, inauditum, & supra communem cursum naturæ est. Sed vt mulier iuencula impugnata à viro concipiat & pariat, est vulgarissimum & cursui naturæ maximè consentaneum. Aut igitur mentitur Esaias, quòd dicit Dominum signum daturum, hoc est, conceptionem & partum Matris miraculosum futurum: aut impiè mentiuntur Iudæi, quòd dicunt Alma fore mulierem adolescentulam à
viro

viro cognitam. Verùm Esaias nō mentitur: est enim verbum ipsius Domini verbum. Consequitur ergo, impiè & blasphemè mentiri Iudæos. Porrò si Alma omninò significat mulierem iuuentulam à viro imprægnatam, sunt ipsi Iudæi omnes filij meretricij. At hoc ita non est, & illi constanter pernegant: quæ admodum & Ioan. 8. dixerunt: Nos ex fornicatione non sumus nati. Consequitur itaque rursus, non significare Alma mulierem à viro cognitam, sed potius & verè virginem nunquam cognitam viro. Atq; vt hæc significatio certior sit, legitur nusquam in totis Biblijs Alma, quàm de sola puella virgine, inexperta mariti. Hinc nimirum Rebecca vxor Isaac Alma vocatur, nondum Isaac desponsa. Gene. 24. Et Moysis soror, virgo adhuc, Alma vocatur. Exod. 2. Ad hæc nihil habent, quod obijcere possint Iudæi. Quid quòd & Matthæus Euangelista, Hebraicæ linguæ satis peritus, Alma interpretatur virginem. Sumus itaque iam abundè satis certi, Messiam ex virgine incognita & concipiendum & nasciturum.

Cæterum quod spectat ad posterius, quo nimirum nomine vocandus esset Messias, seu cuius futurus esset naturæ: sic porrò Dominus per Prophetam inquit: *Vocabitur nomen eius Emanuel.* Hic audimus luculenter, Emanuelem illum vocandum fore: Emanuel autem sonat Hebraicè nobiscum Deus. Ex quo scilicet colligendum venit, Messiam & nomine & naturâ fore Deum. Nam quum Deus gloriam suam alteri, hoc est, homini mero aut creaturæ cuiunque, dare nolit, non vocaret Messiam Emanuelem, nisi esset futurus verus Deus. Si autem Deus futurus erat, & futurus erat nobiscum Deus, consequitur, ipsum fore simul & Deum & hominem, geminæ nimirum substantiæ & naturæ. Hic nempe & Esaias de

Messia loquens cap. 35. inquit: Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet & saluabit vos. Et Baruch Propheta cap. 3. de eodem: Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Posthæc in terris visus est, & cum hominibus est conuersatus. Porro in quem hæc duo Messia propria verè quadrent, in Euangelio audiemus.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

Anno 52.

Hodie Ecclesia salutis nostræ exordium, hoc est, conceptionem Domini nostri Iesu Christi nobis proponit. In hac verò Lectione Prophetica vaticinium continetur conceptionis Messia. Quum igitur is vere Mariæ filius (idem inquam Iesus Dominus noster) sit, per commodum sanè ea nobis nunc proponitur. Consideremus itaque verba Prophetæ, quantum præsertim ea iam dictam Messia conceptionem concernunt: & consideremus quidem ea in finem hunc, vt inde fidem nostram Christianam contra omnes & hæreses & tentationes Diabolicas confirmemus.

Sic ergo Esaias inter cætera dicit: *Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Hic clarè habemus, Messiam à virgine pura conceptum iri, citra viri operam. Vtunque autem ogganniant Iudæi, ita tamen reuera habet, quod euincunt scilicet vel voculæ illæ duæ, Signum & Ecce. Nam ex significant, conceptionem hanc fore singularem, mirabilem, inusitatam & supernaturalem. Sed huc accedit & vocabulum *Almah*, quod verè virginem significat, vbicunq; etiam in scripturis inuenitur. Gen. 24.

Exod. 2.

Exod. 2. Prouerb. 30. & virginem quidem absconditam, hoc est, maxima diligentia domi custoditam, ac proin puram & inuiolatam. Turpissimè igitur errant Iudæi, nostraque contra fides solidissimo fundamento nititur.

Sed audiamus iam, quid porrò dicat Esaias: *Vocabitur* (inquit) *nomen eius Emanuel. Butirum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum.* His verbis natura seu substantia Mesiæ describitur, quòd nempe futurus esset duplicis naturæ, humanæ & diuinæ: iuxta humanam quidem, Emanu, hoc est, Nobiscum, seu nostræ substantiæ: iuxta verò diuinam, El, hoc est, Deus verus. Iuxta humanitatem, comeditur butirum & mel, hoc est, futurus non homophantasticus, sed verus, naturalis, essentialis, corporalis, certus, humanis necessitatibus obnoxius per omnia. Iuxta diuinitatem verò & in huius vetissimum argumentum, sciturus erat (in ipsa statim infantia) bonum & malum: quod certè nemo hominum (præter hunc) vel vnquam potuit vel etiamnum potest. Videmus igitur & hîc, fidem nostram verè veram esse, fidemque contra Iudæorum & Hæreticorum longè falsissimam.

Hicce iam paucissimis verbis concludemus nunc (quum præsertim tempus præsens ita postulet) Lectionem hanc Propheticam: adque Euangelium accingemur, vt in quo explicabitur nobis, & equæ vera isthæc fuerit Almah, & equis verè sit Emanuel ille.

IN EPISTOLAM ET EVANGELIUM CONCIO TERTIA.

Legimus Exod. 37. de propitiatorio, quòd duo Cherubim alis suis texerint illud, seque mutuo & illud

& illud aspexerint. Hic insignem allegoriam habemus. Nam propitiatorium designat Messiam, ut qui vnicus futurus fuerit recõciliator totius generis humani. Duo autem Cherubim, qui propitiatorium ipsum tegebant, seque & illud aspiciebant, duo præfigurant testamenta, vetus & nouum: vtrunque enim ad solum Messiam collimat, alterumq; alterum confirmat. Quod etsi passim in Scripturis claret, in primis tamen & in Epistola & in Euangelio hodierni festi videre est. Vtraque enim Lectio ad Christum ceu scopum vnicum tendit, vetusq; testamentum (quod in Epistola continetur) respicit, confirmatque nouum: nouumque vicissim (quod in Euangelio habemus) vetus respicit ac cõfirmat. In Epistola inquam promissio est de Christo, in Euangelio autem impletio est promissionis eius. In Epistola habetur, virginem inuiolatam (ex Dauidis prognatam familia) fore Messiae matrem: In Euangelio verò habemus, matrem eam esse inuentam, vocatamque Mariam, sponfam iusti Ioseph. In Epistola dicitur, nomen Messiae fore Emanuelem, hoc est, nobiscum Deum, seu seruatorem: In Euangelio autem dicit exerte Angelus, Christum (Mariae filium) vocandum esse Iesum & filium Dei, quod idem est, quod Emanuel. Dein verò pollicitus fuerat Dominus Dauidi, se de fructu ventris eius positurum super sedem ipsius, regnaturum hunc in Iuda & Israel, seque stabilitarum thronum regni eius vsque in sempiternum. Psal. 131. Hier. 23. 2. Reg. 7. Hanc promissionem dicit Angelus hic in Iesu Mariae filio impletum iri: hæc enim (ceu audistis) verba eius sunt: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* En, quis hinc non videt, quàm pulchrè se mutuò aspiciant vetus & nouum testamentum.

tum, quamque vnum Messiam ostendant concorditer. Aptissimè igitur circa hoc Euangelium dicere possumus cum Andrea: Inuenimus Messiam, Christum: & cum Philippo, de quo scripsit Moses in lege, & Prophetæ: Inuenimus Iesum filium Ioseph Nazarenum. Ioan. 1. Quòd autem (vt huius vos obiter ad-moneam) Philippus Iesum vocat Iosephi filium, iuxta communem Iudæorū opinionem intelligendum est. Hi enim putabant Iosephum patrem esse Iesu.

Verū Gabriel docet hic, citra vel Iosephi vel vlti-ri vltius alterius operam, sola opera spiritus sancti, & concipiendum & nasciturum esse Iesum: ita quòd nullum omninò in terris habiturus esset patrē, sed solam matrem.

Cæterū obseruandum est (vt & longè adhuc certiores de Iesu persona reddamur) eodē modo vsum esse Deum in reparando humano genere, quo collapsum illud fuerat initio. Venerat enim ad Heuam primam virginem Angelus Sathanæ sub serpentis specie: ita ad virginem Mariam angelus quoque venit, sed Dei angelus, isque à Deo missus, ille nunciabat Heuæ rem optatam, sed verbis mendacibus: ita & iste Mariæ salutationem attulit optatissimam, sed verbis veris. Ille nunciabat Heuæ, ipsam Deo fore similem: at iste Mariæ nunciavit, fore ipsam Dei matrem: illa nimis citò crediderat, decepta; peccatum & omnem miseriam progenuerat mundo: ista verò tardè ac prouidè credidit, veritatemque omnem edocta iustitiam, felicitatemque sempiternam nobis edidit, Iesum inquam Christum, & peccati & miseriæ omnis expulsores. Rectè igitur canit nunc Ecclesia. Hæc est dies quam fecit Dominus, hodie Dominus afflictionem respexit populi sui & redemptionem misit, hodie Deus homo factus est, &c. Quod restat verò.

verò, tempus visitationis & redemptionis nostri cognoscamus, grati que simus.

FERIIS ANNUNCIATIONIS
MARIAE, IN EVANGELIUM
CONCIO PRIMA.

*Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem
Galilææ, &c. Luca I.*

Habita an
no 49.

IN hoc Evangelio videmus, vaticinium illud Esaiæ verè esse completum: discimusque apertè, & quæ nam sit Alma illa, & quis verus ille Emanuel sit. Alma quidem fuit virgo Maria à Nazareth, sponsa Iosephi iusti: Emanuel verò, fuit & est filius Mariæ Iesus Servator noster. Ne autem quid dubitemus, vsus est angelus Gabriel ad Mariam iisdem verbis, quibus Esaias vsus est & in superiori vaticinio & nono capite. Sic enim inquit: *Ne timeas Maria, inuenisti namque gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, & regnabit super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Alma (vt in Lectione ostendimus) virgo interpretatur iuëncula, adhæc & absconditam virginem significat, vt quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, vel quæ virgo sit, etsi pro virgine non habeatur. Talis autem virgo Maria verè fuit: nam & nullius viri patuerat aspectibus, & fuit virgo, etsi non haberetur pro virgine. Prius ipsamet hîc confirmat, dicens: Virum non cognosco: alterum verò inde claret, quòd fuit desponsa Ioseph. Nam hîc nõ censèbatur amplius virgo, quum tamen re vera virgo adhuc esset. Ergo vera Alma fuit, mater Messia: Sed

Sed quomodo possibile erat, vt conciperet & pareretur filium? Signum se daturum promiserat Deus: Signum autem seu miraculum per Spiritum sanctum fit. Concepit igitur & peperit illa per Spiritum sanctum. Atque hoc Angelus luculenter testatur, inquit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Et Matth. 1. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Sic nimirum exhibuit Deus promissum signum, atque idem & in principio conditi orbis sic promiserat, dicens: Semen mulieris contriturum serpenti caput. Gen. 3. Debebat verò ob id ex virgine nasci Iesus Messias, vt sine peccato esset.

Porrò Iesum re vera Emanuelem & fuisse & esse, abundè satis ex verbis angeli constat. Emanuel (vt diximus) nobiscum Deus sonat. At nobiscum Deus, significat aliud nihil, quàm saluator & liberator noster. Quum enim nobiscum Deus est, saluamur & liberamur ab eo: & quando ab eo liberamur & saluamur, verè nobiscum est. Iesus verò idem est, quod saluator & liberator: quemadmodum & Gabriel ad Iosephum inquit Matthæi 1. Maria coniunx tua pariet filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Adhæc Iesus verè nobiscum Deus est, quòd & Dei & hominis filius sit, quòd verbum sit apud Deum & caro factus inter nos habitans, quòd rex sit æternus & super nos regnet, nosque defendat & regat. Deus fuit ante omnia tempora, sed in tempore factus est nobiscum Deus. Deus fuit & est in gloriam patris, vt sit splendor paternæ gloriæ & expressa imago substantiæ eius. Verùm nobiscum Deus factus est in nostri potissimum gratiam, vt nimirum homo factus nos in diuinitatis suæ consortium transferret. Quum itaque propter nos factus sit nobiscum

nobiscum Deus, agè & gaudeamus & tantam dignationem meritis laudibus euehamus.

Nunc paucis explicabimus salutationem Angelicam. Hic autè tria breuiter attingemus. Primū est, quid ipsa Saluatio sit: secundū est, quomodo ea sit vtendū: tertiu est, quando ea vtendum sit. Ad primū: Saluatio Angelica non est inuocatio seu oratio, sed encomion Mariæ, atque adeò & verū Euangeliū. Ergo non pro inuocatione seu oratione vsurpari debet, sed pro encomio & Euāgelio. Encomion est, quia Maria in ea laudatur, nēpe gratia plena, à Domino possessa, præ cunctis mulieribus benedicta & felix: Euangeliū verò est, quia in ea annunciatu nobis benedictum illud semen mulieris & Abrahæ, quòd nimirū in illo omnes benedictionē, gratiā & salutē per fidem consequuturi simus. Encomion insigne est, nullique prorsus concōmunicabile, præsertim verò Euæ contrariū. Hæc enim sua incredulitate gratiam Domini, præsentia & benedictionē & sibi & nobis abstulit: illa verò sua fide & obedientia progenit eum, per quē & ipsa & nos donati sumus donamurque gratia Domini, præsentia & benedictione. Atque hunc fructū benedictū ventris eius nobis contigisse, egregiū & consolantissimū est Euangeliū auribus nostris. Ad secundū, quatenus iam Saluatio encomion est Mariæ, ad nullū neque ad Deū neque ad sanctos eam transferemus, præterquā ad solam Mariā: sicque id fiet, vt primò omnī incarnationis Dominicæ meminerimus, mox autē virgini congratulemur ob tantā omnino gratiā, optemusque eam ab omnibus agnosci Mesiæ matrē: tandem verò ea moti & nobis Domini gratiam, præsentia ac benedictionē precemur. Quatenus verò Euangeliū est Saluatio, confirmabimus inde fidem nostrā, quòd ni-

mirū Deus verax sit in promissis, quòd nos suas cre-
 turas nō deserat, quòd nostri misereatur, quòd om-
 nes nos cupiat saluos, quòd sic nos diligat vt filium
 suum vnigenitum nostras infirmitates & miseras af-
 fumere fecerit. Ibi tum erumpemus in laudes, in gra-
 tiarum actiones, in preces. Ad tertium, quouis
 tēpore Salutatione huiusmodi vt possumus, quem-
 admodum & preces Dominicæ, Symboli, &
 Decalogi vsus liber est: Verū vt ordo seruetur in
 omnibus, præsertim & mane & vesperi ea nobis est
 vtendum. Mane quidem, quòd fructus ille ventris
 Mariæ Iesus sol verus iustitię ab alto venerit illuxerit-
 que: Vesperi autem, quòd idem in vltima mundi
 ætate & in ipsis tenebris incredulitatis ac ignoran-
 tiæ & conceptus & natus sit.

Sumus igitur longè certissimi, Iesum nostrum ve- *Ex concio*
 rè esse Emanuelem: confirmaturque hīc articulus *ne habitus*
 ille fidei nostræ, quo confitemur, ipsum esse Chri- *anno 50.*
 stum, Dominum nostrum, filium Dei vnicum, con-
 ceptum de Spiritu sancto, natumque ex Maria virgi-
 ne. Maneamus ergo in nostra professione constan-
 tes, quicquid etiam Iudæi & Turcę contrā garriant.
 Hinc verò discamus ex Maria, cum omnes, tum præ-
 fertim virgines & puellæ, vt domi nosmet conti-
 neamus, vt simus in moribus verecundi, in verbis
 cordati & circumspecti, in corde humiles: sic enim
 & ipsi angelorum sentiemus præsentiam, euehemur-
 que à Domino.

IN EANDEM CONCIO

SECUNDA.

IN hoc Euangelio verissimè simul & euentissimè
 docemur, Mariam illam Nazarenam Iosephi spon- *Anno 51.*
 sam verè esse Halmah ac Messiz matrem, & huius
 filium

filium Iesum Seruatoré nostrum verè Emanuelem, Messiamque esse, nam huc tota hæc historia solùm tendit, & in vtriusque personæ descriptione absolutissimè deprehenditur, quicquid apud Prophetam de Messia matre, & de Messia ipso prædictum extitit. Quia verò historia huius eiusdem Euangelij multis fructibus & dogmatis solidis abundat, breuiter eam ab initio ad finem percurremus.

Sic ergo Lucas inquit: *Mense sexto, missus est angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph de domo David, ac nomen virginis Maria.* Multa hîc concurrunt, quo scilicet tempore conceptus & incarnatus sit Emanuel Christus Dominus, in quo item loco celebris illa conceptio facta sit, adhæc quænam & qualis virgo Emanuelis mater sit facta. Tempus quidem est, sextus mensis: nimirum à conceptione S. Ioan. Baptistæ. Consignatur autem tempus, vt certum sit, conceptum hunc foetum verè esse Messiam. Nam de Messia vaticinatum erat, venturum illum tempore ablati à Iudæis sceptri, & venturum quidem statim post Angelum præcursorem: quod sanè vtrunque vaticinium hîc completum est, vt quo tempore & ablatum fuerit à Iudæis sceptrum, & sex menses conceptus præcursor Ioannes. Locus verò conceptionis, Nazareth est ciuitas Galilææ, neque hoc sine causa factum est. Nam & inde certum est, conceptum illum foetum Messiam esse: quòd scilicet prædictum sit, in Galilæa omnium primò lucè magnam (hoc est, Messiam) exorituram, & Messiam vocadum esse Nazarenum.

Ceterum mater sic describitur, vt constet, & virginem illam esse & è Davidis stirpe prognatam, quæ duo nimirum huc itidem faciunt, vt probent conceptum

ptum illum foetum verè esse Messiam Emanuelem. Nam Messiaz mater (vt diximus suprà) Halmah seu virgo esse debebat, & Messias ex Dauidis progenie debebat nasci. Porrò in primis ipse auctor negotij huius hïc etiam attingitur, nempe Deus. Is enim angelum misit è cælo, qui & conceptionem ipsam & conceptionis modum annunciarer, & sic verè hoc quoque hïc impletum est, quod Dominus promiserat: nempe domui Dauid daturum signum.

Sequitur: *Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiosa: Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres.* Non ab re refertur hïc angelus ingressus esse ad virginem Mariam: nam per hoc voluit nobis Lucas commendare virginis mores castissimos, vt quæ non (vti vulgus virginũ solet) per compita & theatra vagata sit, fractoq; gradu discurrerit, sed in ædibus paternis occlusa fuerit, immò sese vltro incluserit, ibiq; rebus sacris & honestis exercuerit sese. Sed consideremus angeli verba seu salutationem: primò inquit: Ave, hoc est salve, seu gaude Maria. Mox addit: Gratia plena, hoc est, dilecta, fauorabilis, & plurimũ consequuta gratiæ. Hinc subiicit, Dominus tecum: quasi dicat: ideo gratiosam te appello, quia Dominus tecum est, Dominus tibi fauet, Dñs te elegit. Deinde hoc explicat, dicens: Benedicta tu inter mulieres, quasi dicat: ideo Dñs tecum est & tibi fauet, quia fauorem suũ erga te in eo & per hoc declarat, quòd tu es illa fortunata, beata & laudata præ omnibus mulieribus virgo, de qua præcinerunt Prophetæ, quæ paritura est semẽ illud benedictũ, quod cõterat caput serpētis, quæ conceptura & paritura sit Emanuelem Christum Dñi.

Sequitur: *Illà vero viso eo, perturbata est in oratione eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Hïc rursus commendantur nobis castissimi & nunquam satis lau-

dati mores virginis benedictę. Trepidare (vt Ambrosius inquit) virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Duplici ergo nomine turbata est Maria, & quod videret angelum viri specie ingredientem, & quod eius insolitam audiret salutationem. Nihil autem respondit, nam ornant virgines silentium. Nimis loquacula, credula & curiosissima erat Eua, qua re locum præbuit Diabolo: Maria contra non temerè credidit, sed cogitauit & expendit apud sese, qualisnam esset salutio: intelligebat enim salutationem singularem esse & aliquid continentem mysterij: ceterum quidnam illud esset, ignorabat, siluit ergo, nec respondit quicquã, ea re omnibus virginibus atq; matronis exemplum præferens prudentiæ singularis & custodiæ virginitatis accuratissimæ.

Sequitur: *Et ait angelus ei, Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero: & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum. Is erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus solum David patris ipsius, regnabitq; super domum David Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quamuis virgo ne verbum quidem angelo respondiisset, intellexit tamen hic ex vultu & gestu virginis, pudore quodam virgineo & verè ingenuo expauisse. Protinus ergo paori medicatus est, salutationemque allatam plenissimè explicauit, quare nimirum salutasset illam gratiosam, quæ dixerit Dominum esse cum ea, & benedictã ipsam esse inter mulieres, quasi dicat: Haud necis Maria, prædixisse Prophetam, futurum vt singularis aliqua & felix virgo conceptura, parituraque sit Emanuele Messiam. Ea ipsa virgo tu es, ideoque tu concipies in utero & paries Messiam, verum & Deum & hominẽ, atq; saluatorem orbis. Ne igitur timeas,
sed bo-

sed bono sis animo, ac gratulare tibi ob tantam gratiam. Hic iam angelus suis ad Mariam verbis apertissime testatur, filium eius fore Emanuelem illum, Regemq; æternum domus Jacob. Nam quicquid apud Prophetam de Messia scribitur, id angelus soli Mariæ filio tribuit. Sit igitur hoc nobis angelicum testimonium fortius omnibus Iudaicis & hæreticis calumnijs. Eset autem hoc loco explicandum, quur Messias vocandus esset Iesus, quur Magnus esset, quare ipse esset regnum: verum tempus non patitur, ad alia igitur properemus.

Sequitur: *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo erit istud, quoniam non virum cognosco? Non hæc dixit Maria, quasi diffidens: sed vt (veluti prudens & cordata) disceret modum. Vnicè virginitatis amabat, curabatque thesaurum: Quum igitur virum neque cognouisset, neque cognoscere vnquam vellet, non poterat intelligere, quo pacto filium posset concipere & parere.*

Sequitur: *Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quapropter & quod nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Atque ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi dicta sterili, quia non erit impossibilis vlla res apud Deum. Quæstio virginis occasionem præbuit angelo, exponendi rationem cõceptionis. Est autem hæc summa responsionis angelicæ, quasi dicat: non periclitabitur hic tua virginitas, neque quisquam virorum te accedet aut continget: sed Deus ipse per virtutem Spiritus sancti sui ex te excitabit filium, sine virili semine te Spiritus sanctus fœcundabit, ideoq; concipiens ac pariens nihil detrimenti sentiet tua integritas & virginitas, & sic foetus tuus sanctus erit, atque vocabitur ob id, non*

Iosephi aut alterius cuiusque viri filius, sed filius v-
 nius Dei. Cæterum vt omnis ambiguitas tolleretur,
 proposuit angelus Mariæ & Elizabethæ exemplum,
 quasi dicat: Elizabeth semper sterilis fuit, estque iam
 grandæua insuper, & tamen concepit in effœta sua
 fenestrate filium filij tui præcursorem, qui & etiam-
 num viuit ac mouetur in tumido matris utero. Is
 igitur, qui illam fœcundauit contra naturam, & te
 contra naturam fœcundare potest, immò & certò
 fœcundabit.

*Sequitur: Dicit autem Maria, Ecce ancilla Domini: fiat
 mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus.* Hic
 nobis describitur, quomodo virgo cõceperit filium
 Dei: nimirum per fidem, credidit enim, Deo omnia
 esse possible, & angeli verbum Dei verbum esse: ex
 hac igitur fide (vt & Sara olim) accepit vim concipi-
 endi ex se ipsa, citra viri operam, per solum Spiritum
 sanctum. In hac verò fide humilis & obediens
 fuit, totam sese Deo permittens, & singulis Dei ver-
 bis obsequens, vniceq; in Dei verbum respiciens. Ha-
 bemus igitur hic absolutissimum veræ fidei exem-
 plum, quod imitemur. Quod fiet, si itidem audito
 verbo Dei credamus ex animo, nos & omnia nostra
 permittamus Deo, inq; eius fidelia obsequia nos to-
 tos præbeamus, facientes ipsius voluntatem summa
 cum fidelitate & humilitate. Nam sic & ipsi Christū
 concipiemus, pariemusq; in vitam æternam.

IN IDEM CONCIO

TERTIA.

ANNO 52.

IN Lectione Esaiana vaticinium habuimus de fu-
 tura Messiz conceptione: at in Euangelio præsen-
 ti habemus absolutam eius vaticinij impletionem,
 audimusq; conceptionem huiusmodi esse factam.

Ante

Ante omnia igitur docemur hîc, Deum esse in verbis suis constantem ac veracem: monemurque ideò, vt constanter ipsius promissis, verbisq; nitamur, credamusq; tam certò nõdum completa impletum iri, quàm certò completa impleta sunt.

Sed (vt ad institutum veniamus) audimus in hoc Evangelio, sponsam Iosephi iusti, Mariam inquam à Nazareth virginem, esse verè Haalmah illam, de qua vaticinatus est olim Esaias. Nam primò vocat eam Lucas apertè virginem: dicens nimirum, angelũ missum esse ad virginem desponsatam Iosepho: deinde & iisdem vtitur angelus ad illam verbis, quibus Propheta vsus est: nisi, quòd pro Emanuel substituit Iesum, quæ tamen nomèclatura re vera Emanuelis significatui respondet. Nam nemo potest dici Iesus, hoc est, saluator, nisi idem sit Emanuel, hoc est, Nobiscum Deus: neq; Emanuel quis verè dici potest, nisi sit Iesus seu Seruator.

Quòd autè adijcit angelus, puerum illum (à Maria concipiendum & nasciturũ) fore magnũ, vocandum filium altissimi, donandum à Deo sede Davidis patris sui, regnaturum super domum Iacob in æternũ, & regni eius non fore finem: eo exponit clarissimè, futurũ ipsum verè Messiam promissum, foreq; & Deũ verum & verum item hominẽ: diuinitate, Dei filiũ: humanitate, filium Davidis: & respicit ijs verbis angelus apertè ad cap. Esa. 9. Mich. 4. Dan. 7. &c.

Cæterum ne quis de Mariæ virginitate quid addubitare possit, dicit ipsamet se virũ non cognoscere, dicit quoq; angelus ipsam Spiritus sancti superuētũ, & virtute altissimi cõcepturã. At ne quis inde suspicionẽ hauriat, quòd desponsa illa fuit Iosepho: dicit Matthæus, grauidam eam fuisse è spiritu sancto, priusquam cõgressi fuissent: & dicit ibidem angelus
ad Ios

208 FE. AN. MA. IN EVAN. CO. III.
ad Iosephū, à Spiritu sancto profectum esse, quod
in ea conceptum fuerit. Est itaq; & fuit Maria verè Al
mah, hoc est, (vt diximus) virgo pura & integra: &
virgo quidem perpetua, ante partū, in partu, ac post
partum. Est quoq; eius filius Iesus verè Emanuel, Sal
uator mundi vnicus. Deus & Homo. Sicq; Esaia vati
cinium, adeoq; omnia Prophetarum de Messia & ma
tre ipsius vaticinia, impleta in Iesu nostro ac Maria
matre eius sunt.

Quum ergo paruulus is nobis sit natus, & à Deo fi
lius nobis datus, vt saluos nos faceret à peccatis no
stris: primò omnium gratias agamus perpetes patri
cœlesti, qui tam insigni nos indignos donario dona
rit: gratias item agamus filio, qui adeò sese propter
nos humiliauerit, tanq̄ue alacriter salutem nostram
sit operatus: gratias denique agamus & Spiritui san
cto, qui tam mirabiliter, efficaciterq̄ue saluti nostræ
cooperatus sit, nobisq̄ue & Patris amorem & Christi
merita hodiè etiamnum applicet.

Deinde Mariam quoque agnoscamus veram Al
mah, Matrem Domini, Theotocon, gratia plenam,
Domini præsentia præditam, præ cunctis mulieri
bus benedictam, præclarū vas paraclæti Spiritus san
cti: ideoq; congratulemur etiam ex animo ei, quòd
tantam om̄inò gratiam apud Deum inuenerit, iam
q̄ue assideat læta filio in cœlo regnanti. Postremò
verò, imitemur quoq; sanctissimū eius exemplum,
hoc est, simus Deo deuoti, moribus verecundi, in ver
bis prudentes ac modici, in fide & charitate flagran
tes: ita nempe futurum est, vt & nos spiritualiter
concipiamus, pariamusq; Christū, cumq;
hoc & ipsius matre læti tandem re

gnemus in cœlestibus,

A M E N,

Z BIBLIOTEKI
SEMINARIUM
SANBOMERSKE IEGO